











EXAMEN
THEOLOGICUM
PROBABILIORISMI

TRIPARTITUM

IN PRIMIS PROPONITUR QUÆST.

AN LICEAT SEQUI OPINIONEM

PROBABILEM INTUITU

PROBABILIORIS:

DEINDE REIJCITUR DOCTINA
Rmi. P. Thyrsi Gonçalez, Prapositi Generalis
Societatis Iesu, negantis posse sequi talem opinionem.
Tandem apponuntur quædam notationes
ad propositum necessaria.

AUTHORE

ILLmo. ET Rmo. DOMINO D. FR. MICHAELE
de Fuentes, Episcopo, ac Domino Lucensi, Olym primarij
Salmanticensis Accademie Doctoris, & Cisterciensis
Ordinis Generalis.

AD REVERENDISSIMUM P. PRIOREM,
& Regium, Observantissimum, Doctissimumque
Monasterium PP. Carthusianorum B. Mariæ
de Paular.

CUM PRIVILEGIO.

MATRITENSI: Ex Typographia Antonij Romàn.



AD REVERENDISSIMUM
PATREM PRIOREM,
ET REGIUM, OBSERVANTISSIMUM,
DOCTISSIMUMQUE,
MONASTERIUM PP. CARTHUSIANORUM
B. MARIE DE PAULAR.

AUTHOR Illustrissimus, libri huius,
ob favorem, quem ab incunabu-
lis mereri conatus sum, ut eum
prælo traderem, & Patronum
eligerem, indulgit arbitrium (Reverendissimi
in Christo PP.) & sine arbitrio remansi, vo-
luntarius sine libertate, ut vestram tutelam ex-
optarem. Reverentia, & gratitudo dulciter
coegit, & ratio genuina hoc expolcit. Quibus
sacrandum opus de licito usu opinionis proba-
bilis inconspetu probabilioris nisi illis, qui su-
pra probabilitatē, supra legem, & omnia Appo-
stolica Consilia ambientes, conversi, unt in
melius præoccupantes diem mortis, ne die
mortis præoccupati, quærunt locum tam rigi-
dæ pœnitentiæ. Elongastis fugientes mun-
dum, *Psalm. 54.*



dum, & maneris in solitudine, quibus dignus non erat mundus, angustjati, afflicti, circumstis in melotis, in solitudinibus errantes, in montibus, & cavernis terræ.

Genes. 28. Revera terribilis videtur locus iste, sed non est hic aliud nisi domus Dei, & porta Cœli.

Luc. 9. Tam constantes in aspera mansione, ut post missam manum ad aratrum retrò non aspiciatis!

Ad Corinth. 2. cap. 6. Cœlestem vitam agitis in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in charitate non ficta!

Ad Roman. 8. cap. 8. in ieiunijs tam severè, ut neque mors, neque vita possit separare vos à consuetudine cibi quadragesimalis!

in scientia, studio intendentes, & intellectibus manuum vestrarum veram doctrinam benè vivendi, & benè moriendi Orbi prædicantes! in charitate, conclament tot ora, quot ulcera mendicorum ad ianiam divitissimi pauperis,

Luc. 16. qui non ex micis, sed ex abundantia saturantur. Ut in plurimum homines contenti sunt probabiliter, & licitè operando, sed vos optimam partem elegistis. Estis tandem illa Rachel pulchra à Jacob plus amata, quam Lia, licet minus filiorum ferax, quia pauciores sunt contemplativi, quam activi.

Luc. 10. Genes. 29.

Finem ponat carmen P. Zachariæ Benedicti, ad prima fundamenta Carthusiæ ita canentis,

O salve semper Regio tutissima mundi,

Q

*O salve quæsita diu: tu saxea moles;
Purgatura pijs longa à rubigine mentes;
Et multos missura animos intacta Deorum;
O salve superum mons impinguatus amore;
Illo, ex quo sancti gignuntur in ætere fructus;
Salvete ò tacita Sylva, tenuesque myricæ:
Sumite nos hilari vestra in consortia vultu:
Servet vos Dominus iucolumes, & vobis conferat æternam fœlicitatem sicut precatur.*

Devotissimus Servus,

Doct. D. Hiacynthus Muñoz

CENSZ



CENSURA DOCT. D. IOSEPH MOSCOSO,
Malacitanorum Collegij in Vniuersitate Complutensi
Alumni, eiusdem Vniuersitatis liberalium artium mode-
ratoris, Parochialis Ecclesie Sancte Crucis Matritensis
Rectoris, Archiepiscopatus Toletani Synodalis Exa-
minatoris, & Sancte Inquisitionis
Calificatoris.

Celeberrima inter omnes difficultates Theologiæ
Moralis, quæ Doctorum acuit mentem, eorumque
ingenia exercuit, est illa diu agitata quæstio, quæ inquit:
*Vtrum licitum sit sequi opinionem verè probabilem, & verè tu-
tam relicta probabiliori, & tutiori.* Huius quippè gravissimæ
difficultatis resolutio Basis est, & fundamentum totius Theo-
logiæ Moralis, & omnium conscientiæ casuum circa res
morales, in topicis, & vtriusque probabilibus, in quibus
iuxta dogmata Angelici Præceptoris, ob imbecillitatem in-
tellectus humani, tum ob contingentiam materiæ moralis
latet veritas obiectiva rerum sub tenebris ignorantiae in-
uencibilis.

Circà resolutionem prædicta capitalis quæstionis divis-
si sunt omnes Theologi, tam Discipuli Divi Thomæ, quam
alii extra eius sculam, tam antiqui, quam moderni. Plures
enim, tam intra, quam extra Thomistarum vniuersitatem
existimant opinionem ex se verè probabilem, & tutam
non remanere talem in conspectu probabilioris, & tutio-
ris; & quod proinde tenemur semper amplecti opinionem
probabiliorem. Hanc ergo doctrinam *Probabiliorismi* no-
uissimè defendit in suo volumine de probabilitate Sa-
pientissimus, & Reverendissimus Pater Doctor Tyrsus
Gonzalez, quondam in Salmanticensi Vniuersitate emerito
Primarius, & Sacratissimæ Societatis Iesu Præpositus Ge-
neralis.

Plu-

Plures notati, & classici Doctores, tum Thomistæ (quos
referunt, & sequuntur Illustrissimus Tapia, Mag. Ferre in
tractatu de Conscientia, & Mag. Bancel tomo 5. quæst. 5.
de regulis morum, art. 5.) tum quam plurimi alij Doctores
eiusdem, & non minoris notæ extra scholam Divi Tho-
mæ; docent opinionem verè probabilem, & verè tutam ta-
lem remanere in conspectu oppositæ probabilioris, & tu-
toris; ac proinde, quamvis sit optimum consilium sequi
id quod est probabilius, & tutius; de hoc tamen non est
præceptum. Vnde possumus licitè sequi opinionem verè
probabilem, & tutam in conspectu oppositæ, quamvis pro-
babilioris, aut tutioris.

In huius quæstionis status constitutione, de mandato
D. D. Ildephonsi Portillo & Cardos, Ecclesie Talabricensis
Dignitatis, & Vicarij Matritensis, ac eius Territorij, per le-
gi opus inscriptum *Examen Theologicum Probabiliorismi* soe-
licibus vulgatum auspicijs ab Illustrissimo, & SS. D. D.
Fr. Michaeli de Fuentes, olim Salmanticensi Lycæi Pri-
micario Lumine, nunc Lucensis Ecclesie vigilantissimo
Antistite. In eo doctrinam communem Theologorum de li-
cito vsu opinionis verè probabilis in conspectu probabi-
lioris defendit, tanta ingenij soliditate, ac eruditionis varietate, vt
ipsius sola hæc autoritas sufficeret ad hanc doctrinam
practicè probabilem, & in vsu licitam constituendam.

Celebris est etiam inter Scolasticos illa communis diffi-
cultas: *Vtrum vnus Doctoris autoritas possit suam singula-
rem opinionem contra communem constituere probabilem verè, &
verè tutam.* Respondet, & affirmativè resolvit Mag. Prado
tunc cap. 1. Theolog. Moral. quæst. 2. §. 1. 2. & 3. tum cap. 33.
quæst. 2. §. 4. aduertit tamen ex communi sententia. Hu-
iusmodi Doctorem oportere, eminenti scientia, pruden-
tia, & pietate præditum existere; ita vt pro sua sententia ra-
tiones convincentes, aut verè probabiles afferat, & funda-
men-



menta communis, & contrarie opinionis probabiliter diluat. Hoc autem posse multoties in Theologia Morali contingere probat ex Divo Thomâ, ex varijs rationibus, ac tandem ex iure Canonico *in cap. ad nostrum, de consuetudine.* Vbi Glossa ait: *Interdum enim reuelatur minori, quod maior nescit.* Sed quis est hic Doctor, & laudabimus eum? Qui faceret mirabilia in vita sua? Qui de sua eminenti doctrina, prudentia, ac pietate commendatus esset ab Ecclesia, vel qui in communi Doctorum assensu talis esset, qualis requiritur, ut dictum eius pro multis valeret. Sed quamvis non diffitear procul, & de vltimis finibus pretium tanti viri esse, quoad hæc vsque tempora. Præ oculis tamen mihi obuium eum habere iudico, ex quo in lucem protulit *Examen Theologicum Probabiliorismi* in hoc opere *Illustrissimus, & Reuerendissimus D. D. Fr. Michael de Fuentes*, iure quipè opinio omnes, & singulæ qualitates in eminenti gradu pro tanto Doctore requisitæ, Illustrissimo Præfuli conveniunt, ut hoc, & eius omnia opera præclara annuntiant, quæ omnia in hoc examine solam ipsius auctoritatem tanti faciunt ponderis, ut doctrinam de licito vsu probabilissimi valeat practicè licitam, & vsum illius constituere in conspectu probabiliorismi.

Est hic Sapientissimus Præsul Sanctissimi Patriarchæ Bernardi, veluti ad radios solis expositus, & probatus filius, & talis Patris hæres spiritus, sicut soliditatis, eruditionis doctrinæ, modestiæ, dulcedinis in docendo, ad perficiendum tanquam filius opera tanti Patris. Spiritum vnius Bernardi exoptabat Divus Thomas, ut Monachorum urgentes præces desisteret, quando ab eis in Fossæ novæ Cœnobio obsecrabatur, ut interceptum super cantica eius opus perficeret. Reverentia erga Divum Bernardum renuebat, & admirabili eiusdem humilitate dicebat: *Date mihi spiritum Bernardi, & ego perficiam opera Bernardi.* Sed quia Divus Thomas propter hanc reverentiam erga Sanctos

Sanctos Patres, & Doctores, spiritum, & intellectum omnium quodammodo sortitus, tandem rogatus à Fratribus eis exposuit cantica Canticorum Salomonis, tanquam migraturus ad sempiterna cantica in societate Bernardi, & spirituum beatorum. Sanctissimum Patriarcham Bernardum docuisse licitum esse vsum opinionis verè probabilis dummodo non negetur oppositum probabilius sanius esse, plura comprobant ipsius testimonia, & præcipuè desumptum ex epist. 82. tum in libris de Consideratione ad Eugenium Papam: tum in tractatu de Præcepto, & Dispensatione; tum in alijs Epistolis. Pertinet ergo ad spiritum vnius Bernardi Sapientissimi Præfulis hanc doctrinam tueri ad perficiendum opera Patris sui Bernardi; sic facit, ita ut ex Obsequio possim decantare:

Est similis Patri de te mihi dicere plura.

Nihil opus est, Patri te similem esse sat est.

Et ut muneri fatitificiam; tantum abest, ut in hoc *Examine* aliquid habeatur, quod Orthodoxe Fidei, aut Christianis moribus adversetur, quin potius hoc opus tot, & tam efficacibus documentis, & morum regulis est refertum, ut merito sperandum sit, ex ijs relaxatos mores reformandos fore, & charitatem, quæ in tot Christianorum cordibus refriguit ardore multiplici, & intensiore, de novo coalescant. Dat. in hac Parochiali Ecclesia Sanctæ Crucis Martiritensi die 10. Septembris anno 1698.

Doct. D. Josephus Moscoso

99

Licen



Licencia del Ordinario.

NOS El Licenciado Don Alonso Portillo y Cardos, Dignidad de Chantre en la Iglesia Colegial de Talavera, Inquisidor Ordinario, y Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido, por el Eminentísimo Señor Cardenal Portocarrero, Arzobispo de Toledo, &c. mi Señor. Por la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, è imprima el libro, intitulado *Examen Theologicum Probabiliorismi*, compuesto por el Ilustrísimo Señor D. Miguel de Fuentes, Obispo, y Señor de Lugo, del Consejo de su Magestad, Catedratico de Prima de la Vniversidad de Salamanca. Por quanto de nuestra orden, y comission ha sido visto, y reconocido, y no tiene cosas contra nuestra Santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dada en la Villa de Madrid à diez dias del mes de Septiembre de mil seiscientos y noventa y ocho años.

Lic. Don Alonso Portillo y Cardos.

Por su mandado

Francisco Pardo.

CEN-

CENSURA DOCT. D. HLACYNTHI MUÑOZ olim insignis Collegij Malacitani apud Complutenses Toga insigniti, Maiestatis Catholicae Concionatoris, & Honoris Capellani, eiusque Regij Palatij Parochi, Hispania à latere Legati, Theologi, & Examinatoris, electi Episcopi Cotronensis, & Manlensis Archiepiscopi.

Decreto Supremi Senatus, prolixa, qua potui meditatione, perpendi *Examen Theologicum Probabiliorismi* ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. D. Fr. Michaele de Fuentes Episcopo, ac Domino Lucensi, Cisterciensis Ordinis, Generali, & in Salamanticensi, florentissima Academia, Primario Theologiae Doctore Iubilato, elaboratum. Nollem esse iniurius modestiae suae, neque in fidus fidelitatis meae, ut cum Ennodio dicam: *Namque omnibus rebus, quae stimantur digna praconis, exhibenda est pro-* Ennod. in
dicit. Arat. *dicendi facultate laudatio; ab eloquentiae dote radiantibus reddenda sunt litteris, quae debentur.*

Novus splendor hac tempestate effulsit, quid dicam splendor? *Fons crevit in fluvium, & in lucem, Solemque conversus est.* Ut fons irrigat univrsam terram, ut Sol illuminat interdensissimas probabilitatum tenebras, & Sole clarior manet eius opinio.

Episcopi Doctores, qualis est iste Doctor Episcopus consulendi sunt, & sequendi in rebus dubijs docet D. Bernardus: *Sed homines, in quibus, facile fallit in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda, & in pra-* D. Bern. de
praecept. &
disp. *cipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es: praesertim cum teneas de Scripturis, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius*

172

res



requirunt, quia Angelus Domini Exercituum est? Requirit dixerim, legem, non quam vel authentica vlla Scriptura tradiderit, vel ratto manifesta probaverit, de huiusmodi quipè, nec preceptor expectandas, nec prohibitor auscultandus est: sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium ventre possit, vtrum nam Deus sic aut aliter fortè velit, si non de labijs custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini Exercituum certum reddatur. A quo denique divina potius consilia requiruntur, quam ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus. Aurea, & dulcissima verba. Quis est Sacerdos custodiens scientiam? Quis Angelus Domini Exercituum? Cui commissa dispensatio mysteriorum Dei? Nisi Episcopis: Quos

1 Cor. 20.

possuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam. Quos tanquam Deos veneramus nisi Episcopos? Sic vocabat Apostolos, primos Ecclesie Episcopos, D. Hieronymus: Apostoli nequaquam homines, sed Dei appellatur.

1 Cor. lib. 3. in Matthe

Audiamus ergo de isto Episcopo Doctore, nulli secundò in ministerio, & doctrina, quem pro Deo habemus, quid dicit? Quid docet? In dubio legis, quando nec Scriptura vlla traditur, nec ratione manifesta probatur, & pendulum manet iudiciũ, vtrum nam Deus sic, aut aliter fortè velit: Licitum est, ait, sequi opinionem probabilem inconspetu probabilioris, quod

Aug. tom. 2. epist. 128.

contra Deum non est. Sequamur ergo eum: Et innitiamur prudentie eius, faciat unusquisque, quod secundum fidem suam credit esse faciendum, aiebat magnus Hipponeus Episcopus.

Cassid. var. lib. 8. ep. 20

Impugnat Reverendissimum M. Tyrsum, sed qua modestia? Casiodorum audio: Accedit etiam tuis laudibus, quod dictis prudentum probaris imbutus; graue est sapienti offendere: ius prætereat, qui iura nesciunt, totum à

se legitimum queritur, cuius origo in docta fuisse nescitur.

Impugnat, sed quo acumine? Verba Lirinensis vsurpo: Ingenio nonnè tam graui, ac vehementi excellit, ut nihil sibi ad propugnandum proponatur, quod non, aut acumine irruerit, aut pondere eliserit.

Vincen. Lirinens. cap. 23.

Cum enim in librorum lectione nil gratius desideretur quam succinta breuitas, scribendi claritas, rationum soliditas, & expedita vtilitas, nifallor, in hoc opere, omnibus muneris absoluto, in mole parua, sed graui pondere, quantum desiderari potest inuenitur: siue in controversijs inter Doctores disputes, siue Consilia at praxim tractes, siue in conscientia Tribunali sententiam Ministres, siue populum concionando informes, securitatem in probabilitate inuenies.

Vt tandem argumento Illustrissimi Caramuel in hac materia: Ex nunc opinio de probabili sententia sequenda intuitu probabilioris manet probabilior opinio, ob auctoritatem tanti Magistri, & nervosa fundamenta, quibus fulcitur.

Quarè, opus hoc omnibus vtile, Fidei conforme, & bonis moribus æquale, ut prælo mandetur, licentiam (imò, & beneuolam gratiam) quam exoptar meretur. Sic sentiebam in Regio Palatio Matritensi die 27. Septembris anno 1698.

Doct. D. Hiacynthus Muñoz.

SUMA DEL PRIVILEGIO.

Tiene Privilegio del Rey N. Señor el Ilustrissimo Señor D. Fr. Miguel de Fuentes, del Consejo de su Magestad, y Obispo de Lugo, para poder imprimir, por espacio de diez años, vn libro intitulado: *Examen Theologicum Probabiliorismi*, como mas largamente consta de su original, despachado en el Oficio de D. Bernardo de Solis. Su fecha en Madrid à 21. dias del mes de Octubre de 1698 años.

III 3

EE



FEE DE ERRATAS.

Pag. 8. lin. 12. conscientia, lege conscientia. Pag. 45. lin. 24. liberati, lege libertati. Pag. 54. lin. 6. ad, lege ab. Pag. 57. lin. 4. praedictam, lege praedictum. Pag. 61. lin. vltim. ex forma, lege & forma. Pag. 63. lin. 21. possimis, lege possimus. Pag. 67. lin. 26. Dirna, lege Diana. Pag. 71. lin. 9. ipsis, lege ipsius. Pag. 81. lin. 3. potestam, lege potestatem. Pag. 82. lin. 13. legantibus, lege litiganibus. Pag. 100. lin. 24. dissoluit, lege dissolui. Idem, ibid. nostra, lege nostram. Pag. 106. lin. 12. suadenter, lege suadente. Pag. 109. lin. 3. rema, quitese. Pag. 139. lin. 27. y 28. differentia, lege differentia. Pag. 141. lin. 14. intellectus, lege intellectus. Pag. 155. lin. 6. debito, lege dubito. Pag. 166. lin. 16. temerere, lege temere. Pag. 195. lin. 14. opinior, lege opinio. Pag. 199. lin. 5. spirius, lege spiritus. Pag. 211. lin. 5. tertia, lege secunda. Pag. 247. lin. 17. feueritatem, lege securitatem. Pag. 254. lin. 32. Magistro, lege Magister. Pag. 255. lin. 2. Magistro, lege Magister. Idem, lin. vlt. eandem, lege eundem. Pag. 260. lin. 15. sint, lege sit. Pag. 262. lin. 23. cum, lege cur. Pag. 265. lin. 11. indicaret, lege iudicaret. Idem, lin. 30. Pater, lege Patrem. Pag. 266. lin. vlt. despositam, lege dispositum. Pag. 272. lin. 29. posset, lege posses. Pag. 286. lin. 3. certum, lege centum. Pag. 298. lin. 19. posum, lege posunt. Pag. 303. lin. 15. pro, lege per. Pag. 312. lin. 19. solus, lege solus. Pag. 314. lin. 11. sine, lege sine.

Este Libro intitulado: *Examen Theologicum Probabiliorismi*, escrito por el Ilustrissimo Señor D. Fr. Miguel de Fuentes, Obispo de la Santa Iglesia de Lugo, advirtiendo estas erratas, corresponde con su original. Madrid, y Enero 8. de 1699.

D. Martin de Ascarza.

Corrector general por su Magestad.

SUMA DE LA TASSA.

T Assaron los Señores del Consejo Real este libro intitulado: *Examen Theologicum Probabiliorismi*, escrito por el Ilustrissimo Señor D. Fr. Miguel de Fuentes, Obispo de la Santa Iglesia de Lugo, a seis maravedis cada pligo, como consta de su original, despachado en el Oficio de D. Bernardo de Solis. Dada en Madrid a 19 dias del mes de Enero de 1699.

D. Bernardo de Solis.

PROAE

PROAEMIUM IN EXAMEN
Theologicum Probabiliorismi.

E Go, qui in scholarum studijs qualemcumque de principijs Moralibus proventum collegisse arbitrabar, vt absque temeritate Episcopale munus in animarum, quas Deus meae sollicitudini commisit, salutem exerce-rem; iterum ad examen doctrinae, cui sincere fidebam re- deo coactus, dum contra illam scrupulos excitari ingenti, & miro disputationis conatu a RR. P. Tyrso Gonzalez olim Primario in nostra Salmanticensi Academia Docto- re emerito, nunc Societatis Iesv Generali Praeposito per integrum de materia probabili volumen experior. Nihil inter AA. communius, quam principium de licito vsu opinionis certo probabilis, iuxta quod meam explicui mentem in tractatu de conscientia, quem Salmanticae in Primaria Cathedra olim dictavi: hac regula directus saepius responsa adhibui consulentibus. Sed modo inclamat Author iste, eam doctrinam esse perniciosam fidelibus, expositamque legis aeternae violationi: quo sane clamore aliquantulum meus animus turbaretur, si viderem dignam sic inclamandi causam, aut non esse contra apertam experientiam mihi certo constaret. Profecto (vt alia praeteream) in hac Dioecesi mihi sub onere Episcopali tradita, grata animi consolatione, redditisque Deo faventi gratijs saepius demiratus sum notissimos animarum fructus ex doctrina, zeloque aliquorum Patrum Societatis Iesv, qui probabilissimo fideliter vtuntur, in confessionibus, & consilijs, perceptos: qua permotus experientia vellem quam plures ex his auxiliares mihi semper adesse, omnesque licet probabilistas summo charitatis affectu in hanc vibem lucensem nova domicilij erectione inductos exciperem. Nec alios credam reportasse proventus
spi-



spiritualibus Missionum curis deditum ipsum Magistrum Thyrsium, antequam, ut ipse ait, anno 1670. A probabilismo recederet. Et sanè idem primus, & agnitus Probabiliorista reputatur, saltem in Hispania, ex omnibus qui nostram regionem concionibus reformarunt; quin de reliquis affirmari absque notissima temeritate valeat, atulisse perniciem animabus dum regulis probabilissimi probe dirigebantur. Sed quid speciale argumentum recolo, dum illud uniuersalius in cunctis ordinibus sacris efformare possumus. Constat Societatem Iesu in Scholis suis industrios ad Ecclesie utilitatem operarios semper aptavisse, idemque prorsus dereliquis affirmandum Religionibus quilibet facile concedat: cum tamen hoc ipso tempore, nimirum postremo hoc sæculo, quo strictiori observantia sacri ordines florent, nulla apud ipsos frequentior invaluerit doctrina, quam regula probabilissimi iustis terminis comprehensa.

Scio præfatum Magistrum specioso ductum fuisse titulo, hac singulari, & implicata Probabilissimi via, videlicet ut fidelium mores ad legis observantiam retrahantur: at probe etiam animadverto huius remedij ad tan gravem morbum inefficaciam, immò & importunitatem. Inefficacia nota erit omnibus, qui aliquali in rebus Belgicis eruditione instructi fuerint: nullibi enim altius inelamatum usque hæc tempora quam per Belgium fuit illud principium de obligatione sectandi probabiliora, etiam & tutiora; sed ipse M. Thyrsus mecum fatebitur, nec famores doctrinas auditi, nec Christianos mores ibidem esse rigidiores. Sed quid opportunitiora silebo? Totus es Mag. Thyrsus imper-suadendo suam reformatricem sententiam ab exordio Ecclesie infidelibus, & Doctoribus per quindecim sæcula viguisse. Huius eruditionis auctoritas modo fides: at rogo per id tempus repressa fuit conscientiarum laxitas? Ignota erant scandala, nullæ volun-

ta

tatum corruptellæ, nullæ virtutum strages, nullæ sacre legis oblivio? Scimus quot hæreses, schismata, facinora Ecclesie, fidelium, Doctorum nomén, & decus obscurarunt, & tunc sanè temporis, quandiu Probabiliorismus, ut dicitur invaluit. Omnes ergo enixe Deum præcæmur, ut Doctorum mentes sua illustratione ducat, ne in laxiores doctrinas, tamquam sibi verisimiliores incidant; & fidelium corda suo timore excitet, ut sine consultatione in vetitum non rapiantur; quod est unicum remedium restringendi, sive in docendo, sive in operando laxitates. Ex aduerso si tot viri ex omni ordine sapientes, & pietate notissimi, fidentes Probabilismo fidelium animos hac nostra ætate iam consilijs, iam concionibus, ad frequentiam Sacramentorum, & legis æternæ observantiam cum ingenti Dei laude retraxerunt, quo iure ex tali doctrina animarum periculum timere absque temeritate licebit? Tandem observatum habeo Magistrum Probabilistam multum proficere posse in salutem animarum, vel Probabilioristam posse tradere doctrinam in materia morum improbabilem: testemque huius observationis adduco ipsum M. Thyrsium, qui tom. 3. select. disp. 40. sess. 1. laudat Fr. Iosephum Guevarri, quia zelo animarum fervens ingenti cum fructu viginti annorum spatio plerasque Hispaniæ Prouincias Verbum Dei annuntians per agravit; ex quo referens sententiam eximentem ab obligatione repetendi omnia peccata gravia in secunda confessione rusticum, qui in prima aliquod provecundia reticuit, superaddit: Zelum laudo, sed doctrinam non probo, quæ mihi improbabilis videtur. Hinc infero, si P. Guevarri erat Probabilista, quo pacto ingente fructu Hispaniæ Prouincias per agravit: cum asserit Probabilissimum esse animarum perniciem? Si utebatur tuo Probabiliorismo, en in doctrinam devenit improbabilem, illaque utens fructus collegit. Ergo nec Probabiliorismus liberat à laxitatibus, & improbabilius in

pra-



practicis docendis, nec Probabilismus animarum fructus impedit.

Abfisto ab his observationibus, vt ad examen præfixum deveniam; in quo pleraque ab Authore in hoc suo fundamento tradita excutere optabam, sed alijs muneris nostri curis non minus vrgentibus animum distractus, pauca sed notabilia perstringam, nec tam discutiam, quam indicabo. Quæ forsam pro impugnatione satis erunt.

ADMO-

ADMONITIO DE HAC posteriori æditione.

Cum plures, viso Opusculo nostro Examini Theologici Probabiliorismi, contra R^{mum} P.M. Thyrsam, quod edidit in lucem R. P. Fr. Balthasar de Lazaro, Monachus etiam Cisterciensis, & Amicus noster, Vallis-Oleti, anno præterito 1697, iudicarent convenientissimum, ampliùs illud extendere, aut saltem ei adiungere, quæcumque alia conducere potuissent ad maiorem doctrinæ principalis explicationem, & confirmationem, in quæstione tam celebri, & ad salutem, quietemque animarum, hoc tempore, fortassè necessaria: id instanter non pauci à nobis etiam expetierunt, quibus negare non potuimus. Quare in hac secunda editione addidimus, in primis, disputationem, quam Salmanticæ, in Cathedra Primaria Sacræ Theologiæ, Auditoribus nostris publicè dictauimus (simul cum alijs Tractatus Conscientiæ) in qua explicuimus, atque latè defendimus sententiam communiorem, nobisque verissimam de licita electione in praxi opinionis verè probabilis, etiam si minùs, atque minùs tutæ; ad quod fuit necessarium suppositiones aliquas præmittere initio illius, quæ maximè conducent etiam ad hanc præsentem controversiam. Deinde, post Opusculum ipsum principale, iam editum in lucem, adiecimus duo alia etiam contra P. Thyrsam directè;

EXAMEN

ctè;



ctè, & in particulari, circa eandem materiam, vt sic
omnino, & plenè eum vidisse, & impugnasse con-
stet. *Faxit Deus* (vt loquitur Eximius Doctor, in
secunda etiam editione sui Tomi prioris in 3. part.
D. Thomæ, in fine Præfationis) *Vt quemadmodum*
prodit maior, prodeat, & melior, atque utilior, &c.
Videatur ibi, & eadem dixisse nos etiam in præ-
senti reputemur.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

EXAMEN

EXAMEN

THEOLOGICUM

PROBABILIORISMI,

IN QUO DOCTRINA

R.^{MI} P. MAGISTRI

THYRSI

GONZALEZ,

PRÆPOSITI GENERALIS

Societatis Iesu, circa vsum

opinionis probabilis dis-

cutitur, & impug-

natur.





EXAMEN

THEOLOGICUM

PROBABILIORISMI

IN QVO DOCTRINA

R. M. P. MAGISTRI

THEYRSI

CONZALEZ

PROPOSITI GENERALIS

Societas leu. orca vltim

opinionis probabilis dis-

cutur, & impug-

natur.



DISPUTATIO.

*Utrum liceat eligere opinionem minus tutam,
minusque probabilem, relicta tutiori,
& probabiliori?*

SECTIO PRIMA.

*Supponuntur aliqua præcipua, & neces-
saria.*



AEC est præcipua, & celeberrima his temporibus controversia agitata inter Authores, imò, & contentiosè discussa, ita vt superet fidem, quanta verborum acerbitate sese mutuo collidant. Occasio prima fuit (vt refert Pater Honoratus Fabri, in tomo Apologetico doctrinae moralis, in præfatione à numero secundo) quòd Recentiores aliqui Theologi paulò liberius, &, vt vulgò aiunt, laxioribus fortè habenis in vastissimo illo rei moralis Campo, viderentur discurrere; vndè è contra nonnulli gravioris indolis, ac severioris genij, qui tantam, vt ipsi vocabant, licentiam, vel audatiam ferre non poterant, exerto stylo fortiter illos agresși sunt, & acriter impugnare tentarunt; præcæteris, Pater Comi-



tolus, & Candidus Filaletus, quibus alij accesserunt, quos etiam refert ibi Pater Fabri citatus, & novissimè etiam Pater Moya tom. 2. selectarum, in apendice ad Tractatum primum, quæstione 6. numer. 2. ubi addit duos alios, Gonet, & Coeladei; sed reverà excefferunt metas suscepti consilij, ac nimium in partem extremam oppositam deflexerunt, ut discursu videbimus.

2 Notandum ergo primò, quòd cum probabilitas, sit respectiva ad nostrum intellectum, non penetrantè rei veritatem provt est in se, sed solùm iudicante de illa provt apparet ex gravi fundamento; sit indè, ut suscipere possit magis, & minus, pro diversitate, scilicèt motivi, & luminis humanæ mentis. Vndè sæpè contingit, ut ea, quæ vni probabilia, alteri probabiliora sint, vel è conversò, & alteri etiam certa, & explorata videantur; quin etiam in se ipsis vna propositio verè sit probabilior, quàm altera, ex maiori, nimirùm gravitate motivi intrinseci, aut extrinseci, à quo desumunt suam probabilitatem; non ita veritatem, quæ consistit præcisè in conformitate cum obiecto provt est à parte rei, sive ut affirmatur; atque ideo nequit vna propositio verior esse, quàm altera, consistit enim in indivisibili talis conformitas, sicut, & deformitas, & consequenter veritas, aut falsitas: quare conveniunt omnes, posse vtramque partem contradictionis simul esse probabilem, non tamen simul veram, aut falsam.

3 Secundò supponendum, inter probabiles etiam opiniones, aliam dici tutiorem, aliam minus tutam; non quia ad securitatem conscientiae, sive exclusionem à peccato, non quælibet sufficiat, si revera est probabilis (nam de hoc inquirimus, & ideo non est supponendum) sed quia in vna minus, aut nullum est periculum operandi contra legem, adhuc materialiter, secus autem in alia; quare omnes opiniones, quæ pro legis obligatione stant,

tutiores dici solent, è contra verò, quæ pro libertate voluntatis; quia nimirum in usu illarum nullum est periculum materialis adhuc peccati, si v.g. omiseris comedere carnes, aut missam audieris, sequendo opinionem asserentem esse de his legem, licet falsa sit; secus autem si alteram sequaris, quæ oppositum defendit, si enim falsa sit, legem non servas, quæ de facto datur, & sic peccatum materiale facis, & si excuseris ob ignorantiam invincibilem, seu iudicium probabile, vel probabilius, à peccato formali, & imputabili moraliter.

4 Vndè tertio suppono, posse contingere, opinionem aliquam esse tutiorem, minus tamen probabilem, vel è converso, minus tutam, probabiliozem; nam cum sumantur istæ denominationes, aut modi, ex diversis principijs explicatis, non semper possunt, aut debent æqualiter convenire, sive in eodem gradu, aut proportionem, sicut nec ipsa principia sunt semper necessario æqualia, atque in eadem proportionem, & si aliquando possint, & reverà ita sint. Exemplis sit res clarior; v.g. opinio asserens, teneri quem statim post commissum peccatum, illud confiteri, & si non instet occasio, vel necessitas alia specialis, tutior quidem est, minus tamen probabilis: è contra verò, quæ asserit oppositum, minus tuta, sed probabilior.

5 Suppono quartò, quòd diversimodè cognosci, sive discerni possunt, quæ sint probabiliores, sive minus probabiles, opiniones morales; aliter enim doctus, aliter indoctus iudicare de illis possunt, & debent; indoctus enim, cum non valeat rationes, seu motiva intrinseca penetrare, atque adeo, nec ponderare earum gravitatem; recurrere debet ad viros doctos, & peritos in ea materia, sicut ad cognoscendam absolutè veram probabilitatem opinionis, ita & ad illius maiorem, vel minorem probabilitatem distinguendam. Nec sufficit, quòd solùm videat,



4

Examen Theologicum

aut sciat numerum Authorum pro ea excedere, nisi excessus sit talis, ut ferè ab omnibus, atque communiter illa ut vera habeatur, & alia ut falsa prorsus rejiciatur, & si non positivè, ut omnino improbabilis. Excipe tamen, nisi illi pauci, qui hanc defendunt, sint tantæ autoritatis, ut possint alijs numero excedentibus præponderare in gravitate, aut saltem adæquare; tunc enim potest adhuc esse probabilior opinio horum paucorum, quàm aliorum plurium, non tantæ gravitatis, sive autoritatis; maximè cum non semel absque discussione multi sequantur alios, more avium, aut pecorum (ut ait Seneca de vita beata, capite primo) *non quò eundum est, sed qua itur*; ut contingit sæpissimè additis vni scholæ; videantur dicta supra disputatione præcedenti, sectione secunda, circa medium, & finem.

6 Docti verò, cum possint penetrare motiva, atque adeo etiam ponderare eorum gravitatem, non egent hoc recursum ad alios consulendos, sed satis per se ipsos de iudicare possunt, quæ opinio habeat graviora fundamenta, & propterea sit etiam probabilior, vel saltem illis videatur; hoc enim sufficit, ut ipsis reverà sit talis, cum probabilitas, & gravitas motivi sint relativè ad homines peritos, & non quid absolutum, iuxta dicta etiam supra loco nuper citato in solutione ad primam objectionem Antonij Cœladei. Vndè optimè Terillus de doctrina morum, part. 1. quæstione 2. numer. 13. sua cuique (inquit) opinio probabilior est, unusquisque enim fertur in suum opinatum, tanquam in probabilius opposito, imò suum respicit, & habet, ut absolutè verum, oppositum autem respicit ut falsum, & contemnit: ergo iudicium hoc de probabiliori, sive minus probabili opinione, doctus, atque peritus habere potest per se ipsum, secus autem indoctus; cui, ut supra etiam dicebamus, sufficiet aliquando consulere vnum tantum virum doctum, & pium,

aut

Probabiliorismi.

5

aut suum Parochum, si nequeat alterum habere, quem urgente occasione consulat: de quo Pater Arriaga de Actibus humanis, disputatione 24. sectione 3. num. 10.

7 Nec ideo virum doctum obligare etiam volumus, ut semper ipse per se ipsum libret, & ponderet fundamenta opinionis intrinseca, ad formandum iudicium, an sit, vel non alia probabilior; sed potest etiam ab extrinseca moveri autoritate. Nam in his rebus prudentialibus tam ego possum meum iudicium deponere, & alteri adherere, quàm alius suo fidere; imò, sæpius illud tutius, si aliqua nimirum passio, aut scrupulus urgeat, nec tempus suppetat ad diligenter ponderandas rationes pro utraque parte. Vndè etiam viri sapientissimi, & piissimi conscientias suas alijs committunt dirigendas, quibus in omnibus obediunt, absque iudicio, aut discretionem propria, iuxta illud Proverbiorum 3. vers. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Quale autem, & cum quibus incundum sit, consilium, docet nos Spiritus Sanctus Ecclesiastici, cap. 37. à vers. 7. ubi etiam addit vers. 18. *Anima viri Sancti enuntiat aliquando vera, quàm (idest plusquam) septem circumspectores sedentes in excelsis ad speculandum.* Quibus constat etiam, quòd nuper dicebamus, nempe non numerum, sed potius gravitatem, & pietatem Authorum, sive consultorum, esse dispiciendam; de quo vide in eodem loco capit. 32. à numer. 22. Patrem Cornelium Alapide, & non te penitebit.

8 Est ergo quæstio præsens, an inter probabiles opiniones, si aliqua habeatur, & iudicetur probabilior, nempe ab ipso operante (intrinsecè, aut extrinsecè, modo iam explicato) & in tali suppositione, teneatur eam sequi, maximè si est etiam tutior, relicta alia minus probabili, atque tuta, vel quamlibet pro libito possit licitè sequi? Sed advertito, quòd utraque esse debet certò, & verè probabilis, nec sufficit, quòd hoc sit solum etiam

A 3.

pro-



probabile, ut non nunquam contingit; nempe sunt aliqua opiniones ita probabiles, ut nullum dubium esse queat de illo, quia plerique sapientes omnes pro verè probabilibus eas admittunt, aut fundamenta illarum manifestè, sunt gravia; alia verò ita sunt probabiles, ut multi rationabiliter id negent, licet alij rationabiliter etiam affirmant; & tunc solum est probabile, non certum, eas esse probabiles. Nunc ergo loquimur, cum vtraque certò est probabilis, sed vna probabilior, & ut talis existimata ab ipso operante, quidquid ab alijs fortè iudicetur.

9 Undè etiam noto, quòd licet possit dari certitudo de probabilitate opinionum, non tamen de maiori probabilitate vnius, quàm alterius, eo ipso, quòd vtraque sit simul, & supponatur certò esse probabilis; quia probabilitas constare potest ex fundamento manifeste gravi, excessus autem gravitatis non ita clarè, & certò potest semper apparere; eo enim ipso quòd pro vtraque parte sit grave fundamentum, atque sufficiens ad movendum, & inclinandum intellectum hominis prudentis, & docti ad assentiendum cuilibet determinatè (alias neque sufficeret ad veram probabilitatem) nequit omninò omnibus æqualiter grave vnum, quàm aliud apparere, sed aliquibus tantum, alijs autem è contra, iuxta diversitatem magnam intellectuum, quibus non æquè placent omnia, sive movent, nisi ea, quæ evidentè, aut certò constant, sive ita apparent pro vna tantum parte, ut pro alia non sit, vel non appareat fundamentum grave: aliàs enim cuiusque sua opinio, sicut verior videtur, ita, & probabilior, saltem ab intrinseco, ut ex Patre Terillo supra dicebamus, & notavit etiam Cotonius libro 1. controversiarum, controversia 5. capit. 5. numer. 99. ubi ait benè, idem esse opinionem alicui minus probabilem videri, ac esse alienam, nam quilibet sequitur ut propriam, quæ sibi apparet probabilior: vide etiam Patrem Moya tom. 1. tractat. 1. quart. 5.

quæst. 5. numer. 1. undè infert benè, Pater Cardenas 3. part. suæ crisis Theologicæ, tractat. 1. disputatione 56. capit. 7. articul. 3. num. 350. quòd in conflictu opinionum duarum probabilium, semper iudicium de maiori probabilitate vnius, est tantum probabile, atque adeò cum formidine maioris fortè alterius probabilitatis.

10 Denique etiam supponendum, loqui in præsentì præscindendo ab eo, quòd adsit lex, sive specialis ratio, quæ prohibeat usum opinionis minus probabilis, seu minus tutæ in conspectu tutioris, & probabilioris, ut in aliquibus casibus contingit, de quibus infra in singulari; tunc enim iam non est probabilis prædicta opinio hic, & nunc, sive omnibus inspectis, ut ad praxim requiritur, sed tantum absolutè, & secundum se, atque adeò, nec sufficit ad formandum dictamen vltimum conscientia certum, de quo potest videri Magister Ioannes à Sancto Thoma disputatione 12. articul. 3. numer. 6. itaque attenda solum probabilitate maiori vnius opinionis respectivè ad alteram (quæ tamen etiam sit verè probabilis hic, & nunc, & si minus) inquirimus, an semper, atque necessario sit elligenda probabilior, si simul tutior sit, vel potius quælibet sit elligibilis, alia relicta, etiam iudicata probabiliori, atque tutiori ab ipso operante? nam quòd ab alijs aliter existimetur, parum ob est conscientia cuiuscumque, quæ in dictamine proprio, non alieno consistit.

SECTIO II.

Sententia affirmativa, & communis probatur, nempe quòd quælibet sit elligibilis.

ET quidem eam esse communem, non negant etiam qui oppositam defendunt, ut ex illis factetur Cotonius ubi supra, num. 101. *Opinio, inquit, affirmativa*



tiva hodie ferè communis est; citat pro illa Pater Pascaligius in decisionibus moralibus, decisione 5. Doctores 52. quibus addi possunt omnes post editionem illius operis scribentes, qui multi sunt, paucissimis exceptis. Ita prædictus Author opinionis contrariæ: vide etiam Patrem Moya loco supra citato quæstione 6. §. 1. & 2. ubi ultra octoginta Doctores refert pro eadem affirmativa sententia, & Tomo etiam 2. in appendice ad tractatum primum, quæstione 6. alios plures addit, & numer. 4. Eandem, inquit, sententiam sustinent ferè omnes Doctores nostræ Societatis, & aliorum ordinum, quos ad eum, & quadraginta recenset Pater Antonius Terillus, tomo integro de conscientia probabili, quæstione 22. & ad centum octoginta & novem protrahit Pater Ildephansus Antonius Sarasa part. 2. suæ artis, tractat. 4. §. 5. numer. 30. & 31. Hæc ibi Moya, & alios adhuc addit pro eadem opinione, quam propterea non pauci iam certam esse existimant, saltem moraliter, & ab extrinseco, ex tanta autoritate Doctorum; imò etiam ab intrinseco, & rationibus ferè convincentibus, quas inferiùs adducam, & ad minus videtur non posse negari probabiliorem esse, aut videri apud plures, altera contraria, & quam pauci defendunt.

12 Ex quo desumpsit noster Caramuel celebre illud argumentum, quòd toties reperit, & ante quadraginta, inquit, annos exivit vincens, ut vinceret in prælium, & in prælium & cui nemo, quem viderit satisfacere potuit. Illud ita proponit, tomo primo Theologiæ fundamentalis, libr. 1. fundamento 11. num. 443. videlicet, sub hoc dilemmate: Aut sufficit sequi opinionem minus probabilem, aut debemus sequi probabiliorem? quodcumque dicas, teneris dicere, sufficere sequi minus probabilem: ergo: Minorem probat, nam si primum dicas, concedis, quòd intendimus; si secundum, sic arguit: ergo ex duabus etiam opinionibus quarum altera docet, sufficere sequi minus probabilem, & altera, quæ hoc negat; tenemur sequi probabiliorem.

rem

rem; at prima est probabilior, ut dicebamus, tam ab extrinseco, quam ab intrinseco, ut pluribus, & nobis videtur: ergo tenemur sequi, vel ad minus poterimus, altera relicta tanquam minus probabili.

13 Nec obstat, quòd Gonet respondet, tom. 3. in dissertatione Theologica de opinionum probabilitate, articul. 4. num. 168. nempe prædictum argumentum supponere duo, quæ erant probanda, & quæ falsa ipse putat; primum, opinionem minus probabilem in concursu probabilioris remanere probabilem; secundum, dictam communem opinionem asserentem, posse eligi minus probabilem inconcursu probabilioris, esse alteram, quæ hoc negat, probabiliorem vllomodo: & addit, quòd si hæc duo probaverit Caramuel, libenter eius demonstrationi subscribet. Non, inquam, obstat, quia facile probari possunt hæc duo, quæ argumentum supponit, imò utrunque iam constat: primum, quia verè potest simul esse probabilis utraque pars contradictionis ex diversis motivis, quorum cum aliqua esse possint, aut apparere alijs gratiora reddent eo ipso probabiliorem unam, quam aliam opinionem; & quia non sunt evidentia, nec convincentia talia fundamenta, ideo ab alijs non tollunt vim sufficientem ad movendum etiam ex determinatione nempe voluntatis.

14 Aliud verò, nimirum dictam communem opinionem esse altera probabiliorem; & si non ita facile suaderi possit eam, ut prorsus falsam reiicientibus, imò ut absurdam, & periculosam, & contra Sacram Scripturam, & Sanctos Patres, & Antiquos Theologos, & contra rationes etiam, quas putant evidentes, uti latè contendit prædictus Gonet citato loco, articul. 2. à numer. 16. atque alij eiusdem opinionis, quos infra referemus: Nihilominus sufficit, quòd reliqui omnes, in tam magno, & excedente numero; tanquam probabiliorem habeant, &

de



defendant, & argumentum Caramuelis urgeat, & probet, quòd intendit, etiam contra istos paucos Recentiores oppositam docentes; nam nec ipsi negant, quòd si operans existimet probabiliorem esse suam opinionem, quamvis alij contrariam, possit, & debeat suam propriam sequi. Ergo cum omnes, præter ipsos paucos, probabiliorem putent positam sententiam de usu licito minus etiam probabilis in conspectu probabilioris; eam sequendo licitè operantur (iuxta ipsos etiam Recentiores) quia sequuntur eo ipso, quam existimant esse probabiliorem.

15 Quòd si dicas; quæstionem in presenti non esse de hac reflexa maiori probabilitate, sed tantum de directa ipsarum opinionum, an, scilicet, quæ ita minus est probabilis, ellici possit, relicta opposita probabiliore! Undè, & si plures putent esse probabilius, id sibi licere; non tamen ideo opinio, ex se minus probabilis redditur probabilior; & consequenter nec qui eam sequitur, dici debet, quòd operatur iuxta probabiliorem, nisi tantum reflexè, non autem directè; imò, opinio reflexa est probabilior de directa minus probabili, seu licito eius usu; in quo sensu procedit quæstio. Respondo tamen, id verum esse, neque magis intendit argumentum, nisi tantum convincere, quòd etiam, qui operatur iuxta minus probabilem opinionem directam, format dictamem practicum, & ultimum iuxta probabiliorem, nimirum reflexam, si semel iudicat probabiliorem esse dictam communem opinionem. Undè salvatur etiam, non minus tuto, & licitè operari, quam si directam sequeretur probabiliorem opinionem, cum dictamem conscientia ultimum, & practicum, tam certum formet, & supra opinionem probabiliorem etiam, scilicet reflexam.

16 Et in isto ipsum Gonet, qui licet putet sequi nos debere opinionem directam probabiliorem, non tamen

tutiorum, si non sit probabilior; quòd latè probat, aut supponit ut certum, dicto articulo 2. §. 1. numer. 12. Inquiri ergo, cum etiam fiat, qui oppositum defendant, nec minori contentione, seu tenacitate, quam ipse suam opinionem de probabiliore semper elligenda, ut inter alios ex eadem Dominicana familia, Pater Vincentius Baro, quem refert, pluraque eius verba (imò, & convitia contra aliud opinantes) Pater Moya tom. 1. suarum selectarum, tractatu 1. quæstione 5. à numero 4. nihilominus ipse Pater Gonet certum putat, quod illi (verba eius sunt citato loco) quibus pars negativa videtur probabilior, possunt eam tutè a conscientia sequi: Inquiri, inquam, an ista certitudo dictaminis conscientia fundetur solum in opinione sua directa, circa non obligationem sequendi tutiorem, si non est probabilior; an potius in reflexa, quòd scilicet sit probabilior talis ista directa, quam opposita? & quodcumque respondeat, confirmabit iam factum argumentum à nostro Caramuele.

17 Quòd ulterius sic explico; quia iuxta nullius opinionem directam, etiam si probabilissimam, seu probabiliorem, & ut talem ab omnibus habitam, formari potest immediatè, & solum dictamem certum ultimum, & practicum requisitum ad opus, sive ad securitatem conscientia, cum hoc fundari debeat in præmissis, non tantum probabilibus, sed etiam certis: ergo sufficet etiam, quòd qui existimant probabiliorem esse opinionem communem, & directam, de usu licito cuiuscumque opinionis minus etiam probabilis directæ, forment dictamen istud reflexum de eius maiori probabilitate, ut postea possint certo iudicare, se licitè eam sequi; adhuc in opinione istorum recentiorum. Pater consequentia, quia nec ipsi volunt, nec velle possunt (ut supra notabamus) quòd opinio directa sit in re probabilior, sicut nec quòd sit vera, sed quòd appareat, sive existimetur prudenter, & invincibiliter (ut etiam



etiam latè probat ipse Gonet contra Vendroquium, artic. 7. à numer. 217.) ergo quia ad formandum dictamen practicum, & certum, & consequenter ad securitatem conscientie, sufficit etiam certitudo prædictæ existimationis reflexæ, de maiori nimirum probabilitate opinionis directæ, atque adeo omnes, qui existimant probabiliorem opinionem communem positam, sequuntur eo ipso in dictamine practico conscientie opinionem probabiliorem, adhuc iuxta ipsos adversarios.

18 Hoc idem argumentum, licet sub alijs terminis, proponit etiam P. Moya pro communi sententia, tom. 2. selectarum in Apendice ad tractatum primum, quæstione 6. §. vnico, numer. 10. supponendo tamen prius, opinionem minus probabilem in præsentem vocari, quæ consideratis tantum principijs intrinsicis talis reputatur: quod non tollit, quo minus ab extrinsecis, seu ex alijs titulis, probabilior evadere possit, imò, & moraliter certa, vt inquit Mercorus (vnus ex præcipuis singularis sententiæ oppositæ factoribus) in Balsi Theologiæ Moralis, part. 1. articulo 14. versu *Respondetur*, & versu *Ex his*, vbi inter media extrinseca enumerat auctoritatem Doctorum, vsum, consuetudinem, possessionem, tolerantiam, & similia. Vndè, & Gonet vbi suprâ, artic. 4. num. 184. sub ista distinctione respondet etiam cuidam argumento, fatendo scilicet elligi posse opinionem minus quidem probabilem ex motivo intrinseco, probabiliorem verò per extrinsecum superveniens, videlicet præceptum superioris, aut principis, de quo inferius.

19 Quò supposito arguit sic Pater Moya, sive vt dicebam, aliter proponit argumentum iam factum nostri Caramuelis: licitum est secundum omnes Doctores, tam antiquos, quàm modernos (etiam adversarios in præsentem quæstione, præter Baronium, & Mercorium, atque Coeladei) elligere opinionem probabiliorem, & si minus

tutam. Sed quoties aliqua opinio ex principijs intrinsicis est probabilis, illico evadit probabilior ex alijs superadditis, nempe, *in dubio meliorem esse conditionem libertatis possidentis, in dubio legis, aut non esse legem, aut non esse sufficienter promulgatam atque adeo, nec obligare; inconcursu opinionum probabilium intervenire semper invincibilem malitiæ ignorantiam excusantem.* Et insupèr evidens etiam est, ferè omnes Theologos, qui à centum, & quinquaginta retrò annis floruerunt, vniuersitates omnes, Religiones, Episcopos, & Summos etiam Pontifices in plurimis decretis, hanc sententiam communem sequutos fuisse, & iuxta illam etiam operatos (vt latissimè probat idem Moya tom. 1. tractat. 1. quæstion. 5. & 6. per totas) ergo quicumque habet opinionem certò probabilem circa licitam electionem alicuius obiecti, si principia memorata superaddat, eo ipso habebit opinionem simpliciter, & absolute probabiliorem pro honestate electionis, vel saltim pro eius à peccato immunitate, ex qua possit formare vltimum dictamen certum, quod omnino excuset.

20 Vndè, & Pater Terillus tomo de probabilitate, quæstione 21. num. 33. quando dicimus (inquit) eum, qui omnibus inspectis credit, sive existimat vtramque partem contradictionis esse directè æque probabilem (atque idem est, licet vna sit minus, quàm alia, verè tamen probabilis) posse pro libito sectari minus tutam; id non asserimus præcisè ex vi motivorum directorum, quæ ille in actu 2. reputat æqualia, sed maximè ex vi argumentorum indirectè, & reflexè probantium, & incomparabiliter prævalentium omnibus, quæ in contrarium asserri possunt, imò, vt benè vrget Moya tom. 2. loco suprâ citato, num. 12. contra Coeladei, ipse etiam, lib. 3. de recta regula morum, quæst. 18. fol. 523.) profectò (ait) regula bona est, quod quis viuat, & operetur iuxta sententiam omnium ferè Authorum suæ ætatis, eo quod communissimè



sententiæ ratio fallant, atque detineant; ergo cum etiam hæc nostra sententia sit verè communissima, & omnium ferè Authorum, præter paucos Neotricos; possumus iuxta illam formare vltimum dictamen certum, ex vi huius reflexionis, seu fundamenti extrinseci, quòd reddidit illam probabiliorè saltem, si non certam moralitèr, vt existimant plures.

21 Sed quòd magis est, Parens etiam Bernardus id ipsum nos docuisse videtur tractatu de præcepto, & dispensatione, cap. 20. vbi respondens cuidam Monacho, qui existimavit tutius, atque probabilius transire ad aliud Monasterium, in quo regula Sancta, quam professus fuerat, strictius servabatur, quàm in suo proprio, & ideo hoc exequutus fuerat; postea verò agebatur scrupulo, & dubitabit, an rectè fecerit, vel, potius teneretur, ad pristinum redire Monasterium? *Tutius* (ait Doctor Mellifluus) *tuam sine dubio ad id, quòd putasti melius, sequitur es conscientiam, quasi in priori bono, & loco contra conscientiam permaneres; quamquam securè id posses, si sanè hinc eandem tui ipsius conscientiam reddere securam posses.* En, qualiter non solùm erga id, quòd tutius, siuè probabilius nobis videtur, sed etiam erga id, quòd minus, possumus reddere conscientiam nostram securam, eo ipso, quòd sit etiam probabile: *Quamquam securè (inquit) id posses, si sanè hinc (id est iuxta probabilem sententiam oppositam, quàm traddiderat antea Sanctus Parens) eandem tui ipsius conscientiam reddere securam posses, siuè procurares.* Hoc ergo possumus etiam in concursu tutioris, & probabilioris, opinionis contrariæ.

22 Nisi dicas, opinionem Parentis Bernardi, quòd scilicèt, non tenebatur strictius observare regulam, quàm iuxta morem sui Monasterij, in quo professus fuerat, esse probabiliorè; & solùm ex errore, nempe invincibili, Monachum illum existimasse oppositam probabiliorè;

&

& tutiorè. Vndè nec etiam in concursu huius erroris, aut eo permanente, asseruit Sanctus Doctor, securè potuisse sequi suam sententiam, sed deposito prius errore illo, & istam opinionem iudicando probabiliorè. Contra hoc est tamen, quia licèt nobis certissimè ita videatur, & in re verè sit probabilior, atque tutissima sententia traddita à Bernardo Parente circa obligationem, quàm præcisè habemus ex vi professionis, observandi, nimirum, regulam iuxta consuetudinem, seu bonos mores (non irrationabiles, aut malè introductos) Monasterij, in quo profitemur; at non ita certum fortassè erat tempore illo, siquidem oppositum videbatur Monacho illi tutius, & probabilius; & ad Summum ex autoritate Bernardi, quamvis Doctoris magni nominis, ac celeberrimi, probabilitatem de sumeret eius opinio, seu responsio. Quin nec ipse Sanctus Parens amplius de illa existimabat, quàm probabilem esse, cum ad vltimum addit: *& de his me accipite sanè, quòd sentio, respondiisse, sine præiudicio sanius sentientis*: quasi hoc contingere potuisset, quòd scilicèt oppositum esset sanius, & verius, siuè probabilius.

23 Ad id autem, quòd dicitur, non simul, seu coniunctim, aut insensu composito iudicij erronei de maiori probabilitate alterius opinionis, sed insensu diviso, aut ex suppositione, quòd deponeretur talis error, esse intelligendum, quòd asseruit Bernardus de securitate conscientie ex vi suæ opinionis; respondeo falsum esse; nam ad formandum hoc iudicium practicum reflexum (in quo securitas conscientie formalitèr consistit) non est necesse deponere iudicium aliud speculativum, de maiori, nimirum probabilitate alterius opinionis, sed illo adhuc stante, & permanente, potest formari reflexum practicum iudicium certum, ex præmissis etiam reflexis sæpius explicatis, supposita sola vera probabilitate oppositæ opinionis. Vndè nec Sanctus Doctor requirit nisi præcisè, quòd est



est probabilis sua sententia conscientiam redderet securam, formando alterum iudicium practicum, & deponendo illud, quod habebat, ex vi alterius opinionis, non verò deponendo iudicium speculativum de maiori eius probabilitate; nam hoc stante, posset nihilominus mutare practicum, & alterum formare; *Quamquam securè (inquit) posses, si hinc eandem tui conscientiam reddere securam posses.*

24. Denique ex D. Thom. quo libeto 8. articul. 13. probat hoc idem eius etiam Discipulus Ioannes à Sancto Thoma, disputat. 12. in presenti articul. 3. num. 14. nam ita ibi Angelicus Magister: *Quando quis (inquit) inducitur in quandam dubitationem ex contrarietate opinionum, si manente tali dubitatione, operatur, periculo se exponit, & sic proculdubio peccat; aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Ubi aperte constat, quòd ubi intercedit diversitas opinionum, atque adeo non est evidentia, sed probabilitas de agendis, postulat Divus Thomas, vt nulla sit dubitatio orta ex tali contrarietate opinionum, nempè, in iudicio practico, & ultimo; nam in speculativo tolli non potest dubitatio, si vtraque opinio sit probabilis; ergo supponit, quòd non obstante probabilitate opinionum, & formidine intrinseca, & essentiali ipsis, potest formari vltimum iudicium practicum, sine dubitatione certum, & quòd hoc requiratur ad securitatem conscientiae. Nec distinguit, aut limitat, quando est magis probabilis vna opinio, quàm alia, sed absolute, *ex contrarijs (inquit) opinionibus in nullam dubitationem adducitur*, pro qualibet parte formando vltimum iudicium certum. Hoc ergo potest

fieri inconcursu etiam probabiliore.

SEC

SECTIO III.

Probatur amplius eadem communis sententia.

25. **S**ecundò, & à priori, quia vt conscientia sit vera, & recta practicè, sivè (quod idem est) securà per iudicium practicum omninò certum, non requiritur esse etiam certum alterum iudicium speculativum antecedens, sed dumtaxat probabile, de bonitate, scilicet, obiecti, vel, operationis. Ergo quaecumque etiam opinio, si verè sit probabilis, sufficiet ad prædictum iudicium practicum formandum, ut ad securitatem conscientiae, quamvis in conflictu probabilioris, & tutioris: patet consequentia; quia etiam in conflictu probabilioris, & tutioris, est assensus determinatus ex motivo non levi, sed gravi, & sufficiente ad inclinandum intellectum hominis docti, atque prudentis: in hoc enim consistit esse verè probabilem; ergo eo ipso poterit fundare securitatem conscientiae. Undè ait benè noster Lorca de actibus humanis, disp. 39. membro primò, in prima probatione conclusionis secundae, quòd inter probabiliorem, & minus probabilem opinionem, dummodo vtraque sit verè probabilis, non est differentia alicuius momenti in ordine ad securitatem conscientiae, cum nec maior probabilitas attingat certitudinem, nec minor declinet in dubium, nempè, suspensivum, aut purè negativum, atque adeo quaelibet est eligibilis, etiam inconspectu alterius.

26. Quòd vterius confirmo primò; nam eo ipso, quòd maior probabilitas non pertingat ad certitudinem, nec necessitabit etiam intellectum ad assensum illius, sivè obiecti, sed relinquet adhuc determinabilem à voluntate in contrariam partem; & hoc rationabiliter, atque



que prudenter, siquidem etiam est probabilis: ergo ad securitatem conscientiae parum ob est excessus probabilitatis in vna, quam in alia, dummodo vtraque sit verè probabilis. Patet consequentia, si semel concedatur (vt nunc supponere debemus ex doctrina iam tradita, & probata) quòd scilicet sufficiat probabilitas absque certitudine in iudicio speculativo antecedente ad vltimum iudicium practicum, siuè ad securitatem conscientiae. Confirmatur secundo, quia maior probabilitas non est signum infallibile veritatis in opinione, multa enim falsa solent esse probabiliora veris, vt Aristoteles communiter relatus: vnde formidinem addit etiam opinio probabilior, an fortasse sit falsa, & opposita vera, quamvis minus probabilis: ergo nulla est ratio, aut differentia alicuius momenti, cur potius sit eligenda vna opinio, quam alia ad securitatem conscientiae, siuè ex necessitate. Patet consequentia, siquidem per quaecumque certò, obiectum proponitur vt verax, siuè vt verisimile ex motivo gravi, & per nullam vt verum certò infallibiliter; quòd solum poterit obligare.

27 Dices, proponi per probabiliorem vt magis verisimile, siuè vt magis apparenter verum: ergo in eius conspectu alia minus probabilis nequit movere ad assentiendum, nisi imprudenter, atque temerarie. Probatur consequentia, quia sicut in rebus certis veritas est, quae movet intellectum; ita in incertis verisimilitudo, aut apparentia veritatis quae dicitur veracitas. Ergo sicut in rebus certis, cum constet veritas, non relinquit indifferentem intellectum ad vtramque partem, sed determinatum ad vnam, ita in incertis maior apparentia veritatis, cum magis ponderet, ipsum etiam inclinatur circa suam partem, ita vt quavis non prorsus determinet quoad exercitium, bene tamen quo ad specificationem, id est tollit, ne cadat, seu determinetur, nisi imprudenter in contrariam partem.

28 Respondeo primò, concesso antecedenti, negando primam consequentiam; ad cuius probationem, concesso etiam antecedenti, neganda est consequentia; quia eo ipso, quòd veracitas, siuè apparentia sola veritatis sumatur ex motivo non certò, & evidenti, etsi gravi in suo genere, atque adeò nec infallibiliter connexo cum veritate, sed tantum etiam apparenter; quantumvis detur maior apparentia, non omninò determinat, sed relinquit adhuc indifferentem intellectum, seu determinabilem per voluntatem in contrariam partem, si pro illa detur etiam motivum grave, atque sufficiens ad prudentem assensum, vt supponimus nunc ad praesentem quaestionem. Ideò in fide adhuc divina, & infallibili, quamvis motivum certum sit, quia tamen non omninò evidens, indiget intellectus determinari à voluntate, liberè quidem, ita, vt possit ad aliud oppositum determinare.

29 Respondetur secundo, concedendo totum, quòd intendit obiectio, nimirum, quòd nec phisicè quidem, per determinationem voluntatis, possit idem intellectus in conspectu probabilioris, atque ita existimatae, assentire vt verae opinioni contrariae, siuè minus probabilis: Indè tamen non sequitur, quòd iuxta illam nequeat homo tutò operari, seu formare dictamen practicum, & certum, de eius licito vsu: adhuc enim sufficiet, quòd possit intellectus iudicare etiam tunc, praedictam opinionem, esse verè probabilem, & si minus, imò, etsi ab ipso falsam iudicatam; quòd, vt saepius iam dixi, non repugnat, cum probabilitas (adhuc maior) & falsitas non opponantur, sed possint convenire simul eidem opinioni, quamvis ergo quis iudicet vt probabilis, esse falsam alienam opinionem, & ideo illi nequeat assentiri vt verae, stante isto dictamine; potest tamè eandem opinionem iudicare probabilem, vt frequenter contingit, imò, & praecipitur de aliquibus à Sede Apostolica, vt alibi notavi.



30 Quod autem hoc sufficiat ad formandum dictamen practicum, & certum de usu licito cuiusvis opinionis verè probabilis, & vt talis existimata, etsi minùs probabilis, convincitur ex eisdem principijs, quibus absolutè probatum est, quòd non sit necessarium iudicium antecedens, siuè speculativum esse certum, sed dumtaxat probabile. Nam ideo certum non requiritur, quia nec veritas in illo, sed veracitas tantum cum gravi fundamento; alias nec sufficeret esse magis probabile, cum adhuc non sit certum, & possit esse falsum: ergo sufficet quævis probabilitas, si vera sit, & certa, etiam in concursu maioris probabilitatis; quia eo ipso habet quæcumque, quòd sufficit in iudicio speculativo ad securitatem conscientia, nimirum, veram probabilitatem.

31 Atque ideo, vt notat P. Moya tom. 2. in appendice ad tractat. 1. quæst. 7. §. 2. n. 28. plures, aut ferè omnes Authores negantes intellectui prædictam potestatem physicam assentiendi opinioni æquè, aut minus probabili in conspectu probabilioris, sunt præcipui patroni sententiæ positæ communis de libera electione cuiuscumque illarum, inter quos P. Vazquez, P. Suarez, P. Thomas Sanchez, Pater Læsius, & alij, quos ibi refert, & propterea concludit: ergo communis Doctorem opinio non dependet à quæstione physica de facultate, quæ ex imperio voluntatis detur, vel nò detur in intellectu ad assentiendum parti æquè, aut minùs probabili in concursu probabilioris: quidquid enim in quæstione physica resolveris, in moralis præiudicium non cedit. Ideoque vsque ad hæc tempora nullus illam præmisit, vt necessariam ad punctum usus opinionis probabilis benignæ, quasi impertinentem iudicantes. Eodem modo loquitur Pater Oviedo in præsentia, contr. 3. punct. 2. n. 18. Quæstio hæc (inquit) ad rem moralem nihil conducit; cum enim vt homo licitè operetur, & habeat prudens iudicium (practicum scilicet),

quo

quo dicat, *hic, & nunc hoc mihi licet*, necessarium non sit supponere iudicium, quo veritati opinionis assentiatur, sed sufficet iudicium, quo assentiatur illius probabilitati; nihil refert ad vltimū iudicium, in quo consistit constantia, iudicium circa veritatem opinionis posse, aut nò posse haberi.

32 Nec obstat, quòd in appendice, part. 2. articul. 140. arguit Pater Sparza, & oppositum probet, nimirum: quia nemo (inquit) vti potest opinione, quam non habet, sicut nec alia qualibet re dum eam non habet; & quòd est quodammodo manifestius, nemo potest dirigere in eliciendo actum voluntatis per cognitionem, & opinionem, quæ actualitè non præexistit in eius intellectu; estque planè chimericum, vt conformare quis liberè possit electionem suam cognitioni, seu opinioni, quæ non datur in eligente, nec præluet eidem electioni ex parte actus primi, imò potius opposita, cui vt veræ assentiatur, & aliam reijcit vt fallam: Quòd vltèrius confirmat articul. 143. quia actus voluntatis (ait) non specificatur ex obiecto prout repræsentato, seu applicato per alienam, sed per propriam ipsius volentis cognitionem, eamque directam, & non reflexam; actus enim volentis operari, fertur ad operationem ipsam, eamque vult in se, & non præcisè, vt denominatam per cognitionem aliquam. Undè si cognitio directa repræsentat operanti tamquam malam operationem hic, & nunc, actus voluntatis eligens talem operationem evadet eo ipso malus, quidquid sit de aliena opinione.

33 Non tamen (in quam) obstat hæc obiectio quæ ex æquivocatione procedit, nam iudicium speculativum antecedens ad practicum, & vltimum (in quo formalitèr consistit conscientia dirigens ad opus) non se habet adhuc vt præmissa in syllogismo practico, ex quo inferitur tale vltimum iudicium, sed tantum per modum simplicis termini, aut extremitatis, & de qua fit reflexè iudicium

B 3

cium



ciū certum in præmissis, ut etiam explicat Oviedo in præsentī, controverſ. 1. punct. 3. num. 23. & 24. alias enim, cūm practicū iudiciū vltimū debeat esse certum, nequit inferri ex præmissis non certis, sed tantū probabilibus: iudiciū autem speculativū antecedens sufficit esse probabile, seu probabilius, non pertingens ad certitudinem, ut docet etiam ipse Sparza. Unde nequit influere in practicū iudiciū vltimū, nisi per modum tantū obiecti reflexè, & certò cogniti per præmissas reflexas syllogismi practici.

34 Ex quibus magis in particulari respondeo iam ad ea, quæ obijciebat Pater Sparza, & ad primū dicendum, quòd licet operans non habeat tanquam propriam, & veram opinionem, quā iudicat esse minus probabilem, habet tamen illam in mente, ut obiectum iudicij certi, atque reflexi, quo eam iudicat probabilem; & hoc sufficit etiam, ut illa possit uti, sive iuxta illam operari, ex vi nimirum vltimū iudicij practici, quòd est regula proxima, & formalis, & propria ipsius operantis. Unde optimè Terillus, tomo de regula morum, part. 1. quæst. 1. num. 12. ex defectu (inquit) huius distinctionis factum est, ut pauci moderni ab antiqua, & communi opinione apparenter receſerint: Verū manifesta æquivo- catione decepti fuerunt, quia regulam remotam cūm proxima formali confuderunt; nemo enim somniavit opinionem, quæ absoluto, & finali iudicio habetur æquè, aut minus probabilis, esse formalem, & proximam rectè operandi regulam; sed solum docuerunt illam esse regulam obiectivam remotam, ex cuius nimirum considera- tione (per iudiciū reflexum de ius vera probabilitate) formatur alterum iudiciū practicū, & vltimū de eius licito vsu, hic, & nunc omnibus inspectis: in quo regula proxima, & formalis operandi consistit.

35 Unde ad secundū etiam respondetur, cūm

NON

non ex cognitione, sive opinione aliena, sed ex proprio iudicio, & certo ipsius operantis, dirigatur ad opus: opinio autem aliena est obiectum dumtaxat huiusmodi iudicij, sive præmissarum ipsum inferentium, modo sæpè explicato. Ad confirmationem respondeo, assumptum esse verū quantum ad primam partem, scilicet, actum voluntatis non specificari ab obiecto prout repræsentato, aut applicato per alienam, sed propriam ipsius volentis cognitionem; fallum tamen esse quo ad secundam partem, scilicet, talem cognitionem solum esse debere directam, idest, non supponentem aliquam reflexam; nam quamvis volens operari feratur quidem ad operationem, eamque velit ponere in se, sive à parte rei, vult tamen illam prout repræsentatam per propriam cognitionem in istis circumstantijs hic, & nunc, non absolute tantum, aut secundum se: Unde, & si iudicet cognitione directa, quòd absolute mala sit, iuxta suam nimirum opinionem; cūm tamen hæc non tollat probabilitatem oppositæ, nec impediatur iudiciū reflexum de ista probabilitate, potest formare iudiciū vltimū, & practicū, quòd hic, & nunc omnibus inspectis, possit voluntas licitè velle operationem, ut in se etiam ponendam, quia ut sic repræsentatur per vltimū iudiciū propriū, quidquid sit de alieno.

36 Tertio, & principaliter, etiam à priori, probatur eadem conclusio, seu sententia communis; quia nulla lex, nisi sufficienter promulgata, obligat; at quoties est probabile, licet minus, non existere legem prohibentem aliquam operationem, non est sufficienter promulgata: ergo nec obligat, quamvis probabilis sit, aut existimetur existere. Maior est certa, & ab omnibus admissa in tractatu de legibus: Minor autem probatur, quia ut lex sit sufficienter promulgata, debet esse nota, & manifesta, saltem apud plures; & eo ipso, quòd dumtaxat sit pro-

B4

babit



babilius, & non certum, legem existere, & probabile oppositum (atque ita iudicatum ab ipso operante) non est manifesta, nec nota apud ipsum, aut aliquem: ergo nec sufficienter promulgata. Unde Angelicus Doctor, quæst. 17. de veritate, articul. 3. in corpore, docet expressè, *præceptum superioris non obligare subditum, nisi ab eo sciatur*. Sciatur, inquit; non ergo probabilitas sufficit, etiam si maior, si oppositum est etiam probabile, quia solum pro utraque parte est apparentia veritatis, pro nulla verò manifesta veritas, imò in quacumque ex opinionibus formido inclusa de contraria parte.

37 Confirmatur ex regula illa iuris: *In dubijs (sive in pari delicto, vel causa, videlicet incertis) potior est conditio possidentis*: quàm non solum in materia iustitiæ, sed in alijs etiam locum habere, est communis sententia apud Dianam part. 4. tractat. 3. resolut. 2. & Magistrum Prado tom. 1. moralium, quæst. 9. §. 1. num. 3. & §. 2. num. 10. & Patrem Moya tomo etiam 1. tractat. 1. quæst. 6. §. 3. num. 15. At quando sunt utrimque opiniones verè probabiles, & si in æqualitèr, verè generant dubium, quia non pertingunt ad certitudinem, ut tradit Aristoteles 1. topicorum, cap. 9. in principio: Sunt autem (inquit) problemata, de quibus contrarij sunt syllogismi; dubitationem enim habent, utrum sic se habeant, aut non, eo quòd de utrisque sunt rationes suasibiles: & in iure Canonico ita iudicari, probat Prosper Fagnanus in caput *Nè inimitaris*, num. 148. & 149. Ergo quando de existentia legis prohibentis operationem aliquam sunt opiniones utrimque verè probabiles, quamvis vna sit magis, melior est conditio nostræ voluntatis suam libertatem possidentis, quàm legis obligatio dubia: & consequenter poterit voluntas liberè eligere quamcumque etiam minus probabilem, quæ stat pro sua libertate.

38 Unde etiam provenit, quòd ratione huius possi-

sessionis nostræ libertatis, quàm naturalitèr habemus, deponi possit practicè conscientia dubia, & formare dictamen certum practicum, & ultimum de non peccato, vel de licita operatione, iuxta communissimam Doctorum sententiam, quàm in numeris citatis, atque eorum etiam verbis fidelitèr scriptis, defendit Illustrissimus noster Caramuel tom. 4. Theologiæ fundamentalis novissimè edito in dialectica de non certitudine, & alijs in locis, quæ ibi refert, num. 614. & post ipsum recentius adhuc Pater Moya tom. 2. suarum selectarum in Appendice ad tractatum primum, quæst. 5. §. 1. sed audiamus (omissis alijs, ne in longum procedamus in re tam clara) Sapientissimum Patrem Magistrum Ioannem à Sancto Thoma in præsentia, disput. 12. articul. 3. num. 20. 21. & 22. Ut ergo (inquit) in particulari formetur dictamen prudens practicum, primò attendenda est gravitas materiæ, ut maiori attentione, & studio consideretur: Secundò attendenda est lex, seu ius; si aliquod datur in tali materia; in quo potest esse dubium, in primis, an lex talis detur, & si datur, an obscurè, vel clarè loquatur, ita quòd de eius intelligentia sint diversæ opiniones; quòd si facta sufficienti diligentia, non constet, an detur lex aliqua non obligat lex, quia in dubio, an detur, vel non detur, reputandum est, quòd non detur, eo, quòd lex est gravamen, quòd imponitur inferiori, & quasi in servitutem, & obedientiam cum redigens; in dubio autem servitutis, & gravaminis, possidet quis libertatem suam.

39 Deindè prosequitur: si verò constet de existentia, & intelligentia legis, sed dubium sit de exceptione illius pro isto casu, ratione epiqueiæ, vel urgentis necessitatis, aut ex alio capite; oportet considerare, an talis necessitas, vel utilitas, aut ratio, propter quàm fit legis exceptio, sit evidens, si enim sit solum opinabile, & dubium, an verè sit talis necessitas, vel causa exceptionis,



potius lex possidet, & exceptio non est facienda; ratio est, rùm, quia exceptio ista est sicut vulnus legis, & quædam eius abscisio: ergo, si non est certa, non potest legem vulnerare, & in hac parte deponere, quia lex possidet, & in casu dubij, melior est conditio possidentis: tum etiam, quia communiter iura, quando ponunt exceptiones legis alicuius faciendas propter necessitatem, vel utilitatem, addunt semper particulam *evidentem*, scilicet propter evidentem utilitatem, vel necessitatem: ergo requirunt, necessitatem non esse dubiam: Ita prædictus Author, & confirmat ex varijs iuribus, quæ huiusmodi evidentiam manifestè requirunt ad exceptiones contra legem, de qua constat existere.

40. Eodem ergo modo Philotophari debemus de lege ipsa contra libertatem nostræ voluntatis, quam existere constat, non solum phisicam, sed, & moralem, idest ad quamlibet operationem licitè exercendam, vbi lex non prohibeat, iuxta illud Apostolicum ad Romanos 4. vers. 14. *Vbi enim non est lex, nec prævaricatio*: Dari autem, vel non dari legem, est quid facti; & factum non admittitur, nisi probetur, certò nimirum, vt lædat, sive vulneret nostram libertatem, quæ est in possessione certissima essentiali, atque eam redigat in servitutem. Sicuti nec in foro externo privatur aliquis sua possessione cuiuscumque rei, propter rationes solum probabiles in contrarium, vt latè, & pluribus adductis iuribus, & Authoribus, convincit Caramuel loco nuper citato, à num. 308. usque ad 329. Quod autem inter vtrumque forum, internum, & externum, debeat quo ad hoc servari etiam proportio, probat à numero sequenti 330. usque ad 335. & fatetur expressè Antonius Coelladèi (conclusionis præcipuè acrior adversarius) Tomo de recta doctrina morum, part. 1. libr. 1. quæst. 15. S. 3. pag. 149. vbi ita ait: *Sciendum est, vt videtè est apud Vazquez, & Sanchez (locis ibi*

citatis) & alijs passim, non esse opinionem, sed veluti in dubitatum principium Theologorum, vtrumque forum, conscientie, & iudicium, seu interius, & exterius, secluso errore, concordare in omnibus; ea solum excipiendo, quæ in iure civili tolerat solum, non probat Ecclesia.

41. Sed pergamus ad alias probationes præcipuæ conclusionis, quia de hoc argumento desumpto ex possessione nostræ libertatis, ex professo, & latius alibi agendum est. Igitur probatur quartò eadem conclusio nostra: Quia etiam est certissimum principium apud omnes Theologos cum Div. Thom. in hac 1. 2. quæst. 76. articul. 2. ignorantiam invincibilem excusare à peccato, quia non est voluntaria, atque adeò nec culpabilis. At in conflictu contrariarum opinionum verè probabilium, licet in æqualitèr, datur de cuiusque determinata veritate ignorantia invincibilis: ergo excussatur operans, quam libet sequendo, & si minus probabilem, atque in favorem libertatis. Patet consequentia, quia eo ipso habet ignorantiam invincibilem de malitia suæ operationis, quam esse licitam affirmat illa opinio probabilis. Minor autem probatur, quia ignorantiam veritatis, ex dissidio inter graves Doctores subortam, non est in potestate nostra repellere; ergo est invincibilis. Probatur antecedens, quia iam supponitur facta sufficiens, atque exacta diligentia, & adhuc veritas non constat, si quidem solum datur probabilis opinio, & pro vtraque parte, quæ nequit simul esse vera.

42. Confirmatur ex dictis; nam ideo non requiritur iudicium speculativum certum de honestate obiecti, sive operationis, quia raro possumus habere illud in rebus contingentibus, & Deus impossibilia non iubet; quia propter nec peccamus operando cum hac ignorantia, in d. errore invincibili; ergo nec cum sequimur opinionem verè probabilem, etiam si minus, quia alia probabilior non red-



dit certam veritatem, sed relinquit adhuc in certam, atque adeò ignotà absolutè, sive ignoratam, iuxta regulam iuris 47. lib. 6. *Presumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* Undè Magister Prado, Tomo de Pœnitentia, quæst. 3. de contritione, dub. 3. num. 23. Iudicium (inquit) probabile, cum bona fide, & diligentia debita, facit ignorantiam facti, vel, iuris, vel, vtriusque, esse invincibilem, & magis ad rem nostram, tom. 2. Theologiae Moralis, in Appendice contra Caramuelem, cap. 33. §. 3. num. 22. loquens de opinionibus contrarijs verè probabilibus inter Doctores bonæ notæ, ait, probabilitatem extrinsecam deservire posse ut operantes, & errantes invincibilitè excusentur à peccato, & tom. 1. cap. 1. quæst. 4. §. 3. num. 12. Ideò excusat à peccato amplectentes opinionem minus tutam æquè probabilem contrariæ, quia quæsitæ (inquit) veritate quantum potuit, si in re erret, invincibilitè ignorat. Ex quo capite etiam sequentem minus probabilem, & minus tutam excusare debemus, ob eandem rationem.

43 Dices: eo ipso, quòd non possit veritas rei sæpius inveniri, & propterea sufficiat veracitas (ut diximus, atque probabimus) infertur potius non dari ignorantiam, quando obiectum cognoscitur, & iudicatur ut malum probabiliter, seu probabilius, siquidem iam veracitè existimatur malum: Alias nec conscientia erronea obligaret, cum solum ita repræsentet, sive proponat legem, & non secundum veritatem. Respondeo, supponendo prius cum Patre Terillo de regula morum, part. 1. quæst. 2. num. 138. non solum dari ignorantiam, quæ à totali alicuius obiecti in cogitantia, sive carentia cognitionis procedat, sed etiam, quæ & si involuat positivam illius cognitionem, non tamen certam, nec determinatam pro vna tantum parte, sed pro vtraque, & solum probabiliter; quòd est propriè ignorare veritatem, iuxta regulam

iam iuris iam citatam. Non ergo superatur ignorantia de veritate rei per cognitiones tantum probabiles, imò redditur magis invincibilis, quàm si esset per carentiam puram cognitionis; quia hæc per accidens, & negativè est invincibilis, alia verò formalitè, & positivè, quia datur fundamentum grave ad dubitandum pro quacunque parte, sed potius assentiendum illi, cum tamen vtraque esse nequeat simul vera.

44 Ex quo negandum est assumptum obiectionis; quia licet ex eo, quòd nequeat sæpius inveniri veritas, sit sufficiens veracitas ad licitè operandum; non tamen indè sequitur, quòd tunc non sit ignorantia prædictæ veritatis, quando datur sola veracitas probabilis pro vtraque parte, sed quòd non sit culpabilis, quia est insuperabilis talis ignorantia, propter opposita argumenta, sive motiva gravia, quæ Authores post tot annorum, totque ingeniorum deludantium diuturnas investigationes, disfidere fecerunt; atque ideo nec nos amplius sperare possumus veritatem acquirere, & ideo nec excutere tenemur. Et sanè, quando rationes pro non lege, sunt probabiliores, aut æquè probabiles, ac rationes pro lege, fatentur Adversarij talem ignorantiam invincibilem dari, atque ideo posse licitè legem non servari, detur, aut non, à parte rei; ergo etiam quando rationes pro lege videntur aliquibus probabiliores, dummodò rationes certò probabiles pro non lege etiam ad sint, quia adhuc tunc non constat certò de illius existentia.

45 Aliter istam solutionem possumus etiam explicare ex Patre Terillo, citato loco, à num. 143. ubi distinguit duplicem ignorantiam invincibilem, aliam, nimirum publicam, & respectivè ad communitatem, alteram privatam respectu cuiuscumque in particulari: & de prima (inquit) procedit argumentum factum pro nostra conclusione, non de secunda. At publica ignorantia invin-



cibilis datur semper, quod sint verè probabiles opiniones pro vtraque parte, quidquid sit de iudicio proprio, & particulari, quod quisque habere potest, & quo existimet esse probabilius legem existere, & pro tunc obligare; nam licet eum obliget, si non deponat hoc iudicium, aut suspendat, vel alterum efformet iuxta aliam opinionem, reverà tamen non est absolutè, & respectivè ad communitatem manifesta obligatio, sicut nec notitia certa de existentia legis, siquidem aliqui non minus periti negant eam existere, & verè probabiliter: Undè nec vllum in particulari obligat, quamvis habeat iudicium privativum de maiori probabilitate opinionis pro lege, quia illo non obstante potest adhuc iudicium practicum formare iuxta aliam opinionem. Porrò quia leges statuuntur pro communitate, illæ neminem ligant, nec sufficientè applicatæ sunt, vt quemquam afficiant, quamdiu communitati non sunt adæquatè notæ.

46 Et vt hoc clarius percipiatur, interrogo ex Terillo, an temerarium, & imprudens iudicium de legis existentia, & obligatione, quod aliquis particularis habeat, sufficiat, vt propterea iam non dicatur esse ignorantia publica de illa? Nemo, ni fallor, hoc dixerit: Ergo nec etiam quamvis detur in aliquo particulari, aut aliquibus, iudicium probabile de legis existentia, & obligatione, dum tamen alij sint, qui etiam verè probabiliter oppositum affirmant; quia in vtroque casu neutrum iudicium particulare tollit ignorantiam publicam, & consequenter nec tollit fundamentum, & potestatem debite formandi practicum iudicium certum de licita operatione. Undè patet solutio etiam ad id, quod ad debatur de conscientia erronea, & obligante; non enim obligat ratione legis, videlicet directæ, quàm falso existere proponit, sed ratione ipsius conscientia, quæ est ex reflexa, & proxima nos dirigens. Sic, qui stante publica, & uni-

ver-

versali ignorantia legis, imò, & scientia non existentia illius, temerè tamen, & falso iudicaret existere (vt contingit scrupulosis) peccaret quidem contra legem conscientia certo applicatam, si eam non sequeretur, aut prius non deponeret, atque mutaret; sed verè non peccaret contra legem directam, & falso creditam, nec sufficientè notam.

47 Quòd amplius confirmatur; quia iuxta Adversarios, si sint æquè probabiles opiniones pro vtraque parte, aut si sit probabilior pro non lege, aut illius obligatione, datur ignorantia invincibilis publica, & sufficiens, vt excuset quemcumque in singulari ab eius observantia; quidquid sit de probabili alia cognitione particulari de existentia legis. Atqui publicè etiam nunquam certò constat, quæ sit opinio probabilior; nam quamvis aliqui existiment, eam esse, quæ stat pro lege, alij tamen, qui oppositam defendunt; illam existimant probabiliores. Undè diximus suprà in hac disputatione, sect. 1. in sexta notatione, quòd licet possit certò constare, aliquam opinionem esse verè probabilem, non tamen esse altera probabiliores; eo ipso, quòd sit vtraque certò, & verè probabilis; ergo datur eo ipso publica ignorantia, & invincibilis de cuiusque maiori, vel, minori probabilitate; & consequenter vtraque habebit publicam parem probabilitatem; quidquid sit de privato aliquorum iudicio, sive particulari existimatione. Hoc autem sufficit, vt nulum obliget sequi eam, quæ ipsi apparet probabilior, dum tamen aliam iudicet verè probabilem, quia conformari potest cum publico iudicio, seu potius excusari publica ignorantia de maiori, aut minori probabilitate.

48 Sed audiamus nostrum Illustrissimum Caramelem tom. 4. Theologiae fundamentalis in dialexi de non certitudine, part. 1. num. 292. Ubi ita vrget idem argumentum: Nam si debeat (inquit) sequi probabilio-

rem



rem opinionem; ergo, vel, illam, quæ certò, vel illam, quæ probabilius, vel, tandem illam, quæ æquè, aut minus probabiliter est probabilior. Si primum, hærebo semper, quoniam raræ, aut nullæ sunt sententiæ certò probabiles, quia nullam reliquit nobis libram Critholaus, quæ exactè, & sine formidine erroris probabilitates ponderet, & examinet. Si secundò; etiam hærebo semper, quoniam deberem scire, ex quibus principijs inferam hanc sententiam probabilius, & illam minus probabiliter esse probabilior. Si tertium; corrumpit tota probabilior Thomistarum doctrina, quoniam si tuta conscientia amplecti possum opinionem minus probabiliter probabilior, non militat contra prudentiam, nec contra conscientiam minoris probabilitatis electio: Non ergo in omnibus probabilioritas est amplectenda; ob ignorantiam, scilicet, illius verè invincibilem, an sit in hac, vel, altera opinione.

49 Ex quo sumitur aliud argumentum (& sit quinta probatio principalis) pro communi sententia ab inconvenienti, nempe, ex contraria sequuto; nam esset intolerabile, & importabile onus, in omnibus materijs occurrentibus, quærere semper opinionem probabilior; quia difficilimum est discernere, quæ nam sit probabilior, non solum indoctis, qui ponderare nesciunt gravitatem motivi, nec ex numero tantum Authorum sufficienter colligere, verum etiam peritis, & doctis, cum unicuique sua propria opinio videatur probabilior, & propterea assentiat illi, ut supra notabamus dicta sect. 1. in quarta suppositione: Nihil enim tam fallax, ac variabile, quam cuiusque proprium iudicium, præsertim de rebus ita incertis, & quibus aliquando per affectum adhæret uni, aut alteri parti. Undè ibi etiam diximus, posse homines doctos suum deponere iudicium, & alterum consulerere, imò, & tutius hoc esse, & sanctiores frequentius face-

facere, iuxta illud Proverbiorum 3. *Ne imitavis prudentiam tuam.* Cum ergo res morales sint ita obviæ, & passim occurrentes, pluribus, & frequentissimis scrupulis exponeretur homo, si ei non sufficeret verè probabilis opinio, sed necessario exigeretur ad non peccandum esse probabilior. Adde, peioris etiam fore conditionis homines doctos, quam indoctos, quia illi possunt melius, atque ideo tenerentur, librare semper, atque ponderare momenta motivorum, ut cognoscant maiorem probabilitatem; quod tamen sæpè nequeunt facere, ob urgentiam negotij, & temporis brevitatem: In docti verò, cum non possint penetrare motiva, nec ponderare sufficienter formabunt dictamen practicum, atque securum, si consulant quemcumque virum doctum, aut si non habeant, suum tantum Parochum, qui sæpius non est doctus.

50 Deindè sequeretur, peccare omnes Doctores, qui communem sententiam de vltimo licito cuiusvis opinionis certò probabilis defendunt, atque publicè docent, quia doctrina sua falsa, & ad formandam conscientiam insufficiente, proximos suos, qui eorum authoritati nituntur, in peccatum, & damnationem ducunt; similiter, qui docent, & defendunt opiniones minus probabiles, & minus tutas, & si ipsis verè videantur: Undè peccavit Divus Thomas, & peccavit Scotus, Bonaventura, & cæteri Doctores, qui novas opiniones contra communes, atque ideo pro tunc minus probabiles, introduxerunt, & docuerunt; imò, & dicemus etiam Deum per integrum sæculum suam Ecclesiam deservisse, illamque in periculosissimo, ac damnabilissimo errore (ita enim appellant sententiam nostram aliqui Adversarij) cæcutire permisisse, & permittere adhuc, cum illam tot, ac tanti adhuc defendant, & solos paucos Adversarios veritatem attingere. At hoc incredibile est, & omnino absurdum. Ergo dicendum est sententiam



34 *Examen Theologicum*
tiam nostram, & communem, atque eius praxim, tutam esse in conscientia, & temerarium aliud affirmare.

51 Sextò, & vltimò arguo ad hominem contra Adversarios; quia ipsi (præter vnum, aut alterum) admittunt, sequi licetè posse opinionem minus tutam, si tamen sit probabilior; imò, & æquè probabilis. At nulla esse potest ratio, cur minus tutam liceat sequi, si est probabilior, aut æqualitè tantum probabilis, & non liceat etiam, quando est minus probabilis. Ergo in consequentè procedunt. Probatur minor, quia si aliqua esset ratio, maximè, vt quantum in nobis est, periculum peccandi evitemus: Hæc autem ratio habet locum etiam in probabiliori minus tuta, quæ potest etiam esse falsa, atque ideo non evitat prorsus omne periculum peccandi, sicut evitat magis tuta. Ergo si consequentè discurrendum est, aut debet dici, quòd nec probabilior, si minus tuta, eligi potest inconspectu tutioris, aut absolutè, quamcumque eligi posse, dummodò sit verè probabilis.

52 Vt enim asserit Magister Prado (vnus ex Adversarijs præcipuæ conclusionis) ideo inter duas opiniones æquè probabiles licet eligere, minus tutam, quia non cadit sub præcepto, quòd vitemus mala materialitè, quia homini hoc est impossibile: ita tom. 1. quæstionum moralium, tractat. 1. quæst. 4. §. 3. num. 12. & infra num. 14. Ad illud (inquit) quòd obijcitur de periculo peccati, benè respondet Magister Baptista (Author suæ familiæ:). *Qua est periculum mali physici, non mali moralis, & hoc periculum potest subire homo, sine vilo peccato, quia idem periculum est (nota) cum sequitur opinionem probabiliorè minus tutam, quia cum non sit infallibilis, potest etiam in re esse falsa.* Hactenus Prado; quæ probant etiam, posse sequi minus probabilem, & minus tutam, non solum per accidens, & in aliquibus casibus ex spe-

cia-

ciali ratione (vt fatetur quæst. 3. antecedenti, §. 3.) verum etiam per se loquendo, & vniuersalitè (quòd negat §. 4. sequenti) nisi etiam obstet prohibitio, aut ratio aliqua specialis.

53 Confirmatur, quia homo non tenetur, se nunquam exponere periculo peccandi materialitè, alioquin nunquam minus tutam sequi posset, nec etiam operari cum iudicio non certò speculativè, & teneretur etiam sequi semper consilia, & non tantum præcepta Dei (verbi gratia) calibatam, aut Religionem, in quibus statibus melius peccata possunt evitari, non solum materialia, verum etiam formalia. Sicut ergo non ideo semper obligamur ad melius, & perfectius, sed solum ad bonum, aut vitandum peccatum formale, seu periculum eius proximum tantum, non remotum; ita nec ad sequendam semper opinionem probabiliorè, sicut nec tutiorè, sed probabilem tantum, cum eo ipso omne periculum peccati, formalis scilicèt, licet non materialis, evitetur per illam, dummodò sit verè probabilis.

SECTIO IV.

Solvuntur argumenta opinionis contrariæ.

34 **N**ON seorsim, sed coniunctim discuti vtramque controversiam de tutiori, aut probabiliori opinione necessario sequenda, etsi aliqui disiungant, & separatim quamlibet pertractent, inter quos Pater Moya tom. 1. suarum selectarum, tractat. 1. quæst. 5. & 6. quia vt ipse benè notat in priori loco, §. 4. num. 44. eo ipso, quòd possit eligi opinio minus tuta, dummodò existat probabilior (vt frequentius affirmant

C 2

Ad



Adversarij, imò vt certum supponit Gonet in dissertatione Theologica de opinionum probabilitate, articulo. 2. num. 12.) omnia argumenta, quæ probare possent tutiorem semper eligendam esse, convelluntur, instando in prædicta sententia de licita electione probabilioris, etsi minus tutæ. Deindè, quia semel etiam hoc probato, quòd liceat sequi opinionem minus probabilem in conspectu probabilioris (vt huc vsque nos fecimus) nulla esse potest ratio, quare debeamus semper eligere tutiorem; siquidem ideo solum potest esse eligibilis minus probabilis, relicta probabiliori, quia, nimirum non tenemur omne periculum vitare peccati materialis, sed dumtaxat formalis, sive quia non semper obligamur ad observantiam legis provt à parte rei, sed provt existit in existimatione nostra verè probabili, & prudenti, & consequenter nec ad eligendam opinionem tutiorem, quæ talis dicitur ex conformitate cum lege, provt à parte rei; ergo sufficiet etiam simul de utraque controversia, & non seorsim disputare; sicut, & fecit idem Moya postea 2. tomo in Appendice ad tractat. 1. quæst. 6.

55 Primùm ergo argumentum contra nostram sententiam, quòd adducit Gonet, loco nuper citato à num. 18. desumitur ex scriptura, quæ docet, nos debere, quantum scimus, & possumus, obedientiam præstare Deo in observantia mandatorum eius, vt patet ex illo Deuteronomij 26. *Hodie Dominus Deus præcipit tibi vt facias mandata hæc, atque iudicia, & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: idest, quantum vnusquisque scit, & potest, vt Interpretes communiter exponunt. Undè ait Propheta, Psalm. 118. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis; idest, valdè, sive quantum scimus & possumus. Sed qui operatur secundum opinionem minus probabilem, quæ stat contra præceptum, & in concursu*

probabilioris, quæ stat pro præcepto, non facit quantum scit, & potest, vt præceptum custodiat; scit enim magis conducere ad observantiam eius sequi probabilior opinionem; ergo qui operatur secundum minus probabilem, & minus tutam, ita à se iudicatam, non excusatur à peccato, & transgressione præcepti.

56 Confirmat. 1. Contenson, Tomo etiam 3. suæ Theologiæ mentis, & cordis, dissertat. 6. cap. 1. speculat. 2. ex alijs verbis (licet ea non referat) eiusdem Libri Deuteronomij, cap. 6. nempe, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, &c.* Qua autem (inquit Contenson) veri specie dici ille potest, Deum ex toto corde diligere, qui illud eligit, quo probabilius existimat Deum offensum iri? Ille ne amicum, non dico toto, sed sincerò corde diligeret, qui ea admitteret, quibus probabilius intelligeret amicitia necessitudinem dissolvendam? Secundò, quia præcepit etiam Spiritus Sanctus Ecclesiastici 37. vt ante omnia opera verbum *Verax præcedat te, & omnem actum consilium stabile: Non est autem verbum verax, quòd re ipsa æternæ legi, & immutabili veritati adversum est, & tale esse probabilius iudicatur, nec consilium stabile censei potest instabilis, & nutans minoris probabilitas actus, securitati, maiori- que probabilitati scientèr prælatus 3. præcepit etiam sapiens Proverbiorum 6. fugere periculum, Quia qui amat periculum, peribit in illo. Ille autem proculdubio periculum amat, periculoque se committit, qui ei adhæret par- ti, cui salutis periculum in esse probabilius videt.*

57 Respondeo ad argumentum principale, concessa maiori, negando minorem; ad cuius probationem in ea insertam, nego etiam antecedens; nam quamvis sit verisimilior, & vt talis appareat, opinio probabilior, non tamen certa, sed esse potest falsa. Ergo qui eam habet, & vt talem iudicat, non scit, magis conducere reverà ad



observationem præcepti, sicut nec etiam esse præceptum. Et insto in casu, quo opinio probabilior non sit pro lege, atque adeò neque tutior; an nè conducet magis ad legis impletionem? Igitur solum verba adducta ex scriptura probant, quòd si constet certò de existentia præcepti (vt constabat de illis, quæ tunc Deus ponebat) observetur omninò, quantum scimus, & possumus; at si certò non constet, sed potius ignoretur, cum sit verè probabile, quòd non existit vnde colligitur ex illis verbis, quòd debeat ex necessitate observari præceptum, aut sequi probabilior opinio, quæ etiam est incerta?

58 Ad primam confirmationem ex Patre Contenson respondeo, in æquivoco laborare, quia non distinguit inter iudicium speculativum, & practicum. Quamvis ergo sit probabilius iudicium speculativum de legis existentia, dum tamen non sit certum, imò verè etiam sit probabile, quòd illa non existat, formari potest iudicium practicum omninò certum, non obligare, & consequenter nec Deum offensum iri, aut eius amicitiam dissolvendam, quamvis non observetur; vnde poterit adhuc *Deus amari ex toto corde, & ex tota anima, &c.* Ad secundam confirmationem respondeo, negando etiam, quòd non sit verbum verax, & consilium stabile, quòd per opinionem, etsi minùs, certò tamen probabilem, habetur, veritas enim, & veracitas distinguuntur, nam ab eo, quòd res est, vel, non est, propositio dicitur vera, vel falsa; at verax, sive mendax, ab eo tantum, quòd res creditur, sive iudicatur, sit, aut non sit a parte rei, vt ex Caramuele explicuimus supra citatis locis: alias, nec probabilior opinio esset verax, aut consilium stabile, quia potest etiam esse falsa, & transire de magis probabili ad minùs, imò ad improbabilem, vt adductis exemplis convincit idem Caramuel tom. 1. Theologiæ fundamentalis, fundamento 11. num. 447. Quare negamus etiam, pro-

probabiliorem opinionem, ex hoc præcisè, esse magis securam ad excludendum formale peccatum. Ex quo patet solutio ad tertiam confirmationem; quia nullum est periculum, aut illi se committit, quia iuxta opinionem verè probabilem operatur, nisi peccati tantum materialis; quòd periculum etiam subest opinioni probabiliori, si non sit etiam tutior, siquidem potest etiam esse falsa.

59 Sed objicies secundò, sive replicabis: Ergo omnes opiniones verè probabiles sunt æquè tutæ, quamvis non sint æquè probabiles: Vnde nec absolutè vna opinio esse poterit tutior, quàm alia, siquidem eo ipso; quòd sit tuta, est probabilis (aliter enim nequit esse tuta) & qualibet probabilis est æqualitèr tuta, iuxta nostram Doctrinam. Respondeo, distinguendo consequens, sive primam sequelam; sunt æquè tutæ, à periculo scilicèt, peccati formalis, sive imputabilis, concedo; peccati materialis, seu physici, non imputabilis, nego: Et in hoc sensu tantum explicuimus supra sectione prima, in secunda suppositione, divisionem communem opinionis probabilis, in tutiorem, & minus tutam, vt videri ibi potest; & vide etiam Patrem Moya; tum 1. tomo suarum selectarum, tractat. 1. quæst. 6. §. 7. & 8. tum in 2. tomo, in Appendice ad tractatum primum, quæst. 10. §. 1. vbi plurimos refert ita expressè asserentes, imò in priori loco, §. 7. num. 43. addit, & benè, tot Authores pro hac parte recenseri debere, quotquot defendunt, certissimum esse non peccare, qui sequitur opinionem verè, etsi minùs probabilem, adiuncto, scilicèt, iudicio practico, & certò, de licito eius usu; quia evidenti consequitione vnum ex alio infertur, vbi enim nullum est periculum, æqua est securitas conscientia.

60 Vnde non placet, quòd prædictus Moya in eodem priori loco, §. 8. num. 56. docuit, nimirum, quòd in



aliquo verò sensu potest vna opinio dici tutior, quam alia à periculo etiam peccati formalis; quia quando opinio (inquit) materialiter est minus tuta, siue pro libertate, & contra legem, dictamen vltimum conscientiae, & practicum, solum est moraliter certum, quod in eius praxi non sit peccatum; quando verò materialiter etiam est tutior (idest pro lege) est evidentè certum dictamen practicum de non peccato, quia lumine naturæ est notum, sequentem talem opinionem pro lege, ommissa contraria pro libertate, reverà non peccare. Ergo in hoc legitimo sensu potest dici vna opinio magis tuta, quam alia à periculo etiam peccati formalis. Non tamen (inquam) placet hæc consideratio, siue doctrina; tum, quia iuxta nostram, dictamen vltimum conscientiae, quod est proxima regula, supposito iudicio verè probabili speculativo, est certum practicè, non moraliter tantum, sed etiam metaphysicè, de non peccato formali, etsi reverà à parte rei falsum fuisset iudicium speculativum pro libertate, & contra legem; tum etiam, quia ut ipse Moya ibi fateretur, quo ad imputabilitatem, si reflexio, ut potest, fiat supra effectum moralis certitudinis talis iudicij practici, evidens omninò erit, sequentem illud non peccare: qua propter reflexione ista facta, omnes opiniones (ait) sunt æquè tutæ, & æquè securum reddunt operantem. Nos autem in præsentia ita loquimur, & non si vltimum iudicium practicum efformatum non fuerit omninò certum.

61 Ex quo solvitur etiam instantia à paritate, quæ adduci solet in contrarium, videlicet, ex physicis ad moralia; nam in physicis quidem qui distat verbi gratia, à fovea quatuor passibus, remotior est à periculo incidendi in illam, quam qui distat per duos tantum: ergo etiam in opinionibus moralibus magis distabit à periculo peccandi formaliter, qui sequitur opinionem pro lege, quam

qui

qui contrariam pro libertate. Nam respondeo cum Moya, § 9. num. 59. concessio antecedenti, negando consequentiam, quia in physicis non distinguitur periculum materiale à formali, siue incidendi materialiter in foveam, aut formaliter; secus verò in moralibus; ubi materiale peccati à formali distinguitur, vel aliter, & clariùs; quia in exemplo posito attenditur solum physica distantia à fovea, & supponitur etiam ut certum, esse quatuor passuum in vno, & in alio duorum tantum: At in moralibus, ad peccatum formale attenditur præcipuè ad veracitatem, non ad veritatem, cum ex illa sumatur voluntarietas operationis, & non ex veritate, quæ læpius est ignota: & consequenter si proponitur rationabiliter non esse legem prohibentem, formari potest certum iudicium practicum de non periculo peccandi formaliter.

62 Quod si adhuc replices; quia opinio probabilior, & talis iudicata, est etiam in existimatione proximior veritati, siue veratior, quam quæ minus probabilis; in hoc enim consistit maior, & minor probabilitas. Ergo tenemur sequi probabiliozem saltem, & si non tutiorem. Respondeo negando consequentiam; quia etsi opinio probabilior videatur, siue appareat in existimatione proximior veritati, & in hoc sensu etiam ut veratior, non tamen certò proximior veritati apparet, sed tantum probabiliter, siquidem cum formidine actuali, quod fortasse est falsa, & alia opposita non solum proximior veritati, sed etiam vera. Undè adhuc ignoratur, quæ sit proximior, aut quæ vera; & propterea, si quælibet apparet talis, & certo verax, seu probabilis, possessio stat pro libertate?

63 Imò addunt plures, quod opinio, quæ docet, sequendam semper esse, vel tutiorem, vel probabiliozem, magis exponit animas periculo peccandi formaliter, atque

que



que ideo minus tuta est, quam opinio benigna, atque communis, quæ quamlibet probabilem eligibilem esse affirmat. Nam qui operatur iuxta dictamen huius benignæ sententiæ, ad summum exponitur periculo peccati materialis; qui verò rigidam sententiam de opinione tutiori, vel probabiliori necessario sequenda habet pro regula obligante, exponit se periculo peccandi etiam formalitèr; difficilimum enim est, & moralitèr ferè impossibile, rigidas opiniones semper eligere, aut probabiliores diiudicare, vt in sectione præcedenti diximus. Ergo qui ad vitandum peccatum, vsum partis tutioris, siuè probabilioris necessarium prædicant, plurimos in morale periculum formalitèr peccandi conijciunt, atque adeò tutior est opinio benigna, atque communis, quæ ab hoc periculo liberat. Videantur plures apud Moya, secundò tomo, dicta quæstion. 10. numer. 20. hoc expressè affirmantes.

64 Sed melius noster Caramuel tom. 1. Theologiæ fundamentalis, lib. 1. fundament. 11. num. 441. vbi ita loquitur: Solent aliqui angi scrupulis, & suadere solent, atque præcipere viam tutiorem in materia probabili, at ipsi videntur mihi non per callere probabilitatis essentiam, & ideo in Commentario meo in Regulam Divi Benedicti, disp. 6. de opinioni probabili, num. 58. & 61. duas Theses possui: Prima erat; omnes opiniones verè probabiles sunt per se æquè tutæ, & securæ: Secunda; benigniores, etsi aliquando sint minùs probabiles, per accidens sunt semper vtiliores, & securiores: Et post pauca: Primam sic probo; illa opinio est tuta, & secuta in conscientia, quæ, si iuxta illam exactè opereris, te liberabit à mortali, & veniali, etiam formali, & imputabili. At hoc æquè præstabit quæcumque verè probabilis opinio; ergo omnes sunt æquè tutæ. Secundam sic: inter duas opiniones alias æquè tutas, & securas,

si exactè operaris, illa tutior, & securior dicenda adhuc erit, iuxta quàm certius præscire poteris, te operaturum exactè. At qui hoc habent sententiæ benigniores; cognita enim humana fragilitas, nos insuspicionem, ac diffidentiam, necio quàm, inducit, cum proponuntur res arduæ, & difficiles; quæ abest, aut cessat, cum proponuntur faciles: ergo per accidens ratione huius nostræ miseræ, & fragilitatis, tutior est benigna sententia, quàm rigida.

65 Ne tamen ideo aliquis subinferat, consulere propterea sequi semper benignas opiniones, siuè contra legem: addit statim, num. 442. sequenti, hanc vniuersalem regulam potius consulendam: *Actiones nostras ad severas, dictamen verò ad benignas sententias conformandum;* non enim (inquit Caramue) video, cur non possim illa facere, quæ opinio severior, idest, pro lege, præscribit, & nihilominus tenere cum benigna sententia (pro libertate) me ad pauciora obligari? Porro, si nihil faciendum in Mundo, nisi, quòd moralitèr obligat, multarum etiam Religionum observantiæ cessabunt, contemnentur Patriarcharum multorum regulæ, & constitutiones, quæ non obligant sub peccato: imò contradictorie fient, nam si iste syllogismus est bonus; quidquid ad peccatum non obligat, debet fieri: sed hoc non obligat ad peccatum: ergo debet omitti: etiam iste erit bonus: quidquid ad peccatum non obligat, debet non fieri: at huius ommisio non obligat ad peccatum: ergo debet non omitti; vnde nasceretur ista communis, & implicatoria consequentia: ergo debet omitti, & non omitti. Non igitur confulimus sequi opiniones benigniores, sed posse absque peccato, solum persuademus. Ita Illustrissimus Caramuel.

66 Atque hinc etiam desumitur intelligentia facilis quorundam Jurum, in quibus ex hoc solum principio, quòd



quòd in incertis, sive dubijs sequendum semper sit, quòd tutius est, Summi Pontificis plura decreverunt, vt constat ex capite *Ad audientiam, de homicidio*, vbi dicitur: *Quia verò vtrum ex occasione vulneris decessisset, dubium habetur, cum in dubijs semitam debeamus eligere tutiorem, nos convenit iniungere Præsbytero memorato; vt in Sacris Ordinibus non ministret.* Et in capite *Significasti nobis*, eodem titulo habetur: *Quòd si discerni non possit, ex cuius ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida haberi debet Sacerdos; & si fortè homicida non sit, à Sacerdotali Officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare, sit tutius, quàm temerè celebrare.* Idem habetur in capite *Petitio*, eodem titulo; & in ea capite *Si quis positus*, de poenitentia, distinction. 7. & in capite *Si quis autem*, eodem titulo, vbi dicit Divus Augustinus ibi relatus: *Aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur; quòd horum tibi futurum sit, nescio; ergo tene certum, dimitte incertum.* Concordat etiam caput *Iuvenis*, de sponsalibus, vbi dicitur: *In his, quæ dubia sunt, quòd certius existimamus, tenere debemus.* Ex quibus omnibus desumpta est illa regula communis: *In dubijs tutior pars est eligenda.* Ergo non quælibet opinio eligibilis est, aut tuta in praxi, quamvis verè probabilis. Ita arguit Gonet loco supra citato, articul. 5. num. 169. atque etiam Contenson vbi supra, qui alia iura addit, quæ nihil aliud dicunt.

67 Sed (vt dicebam) facilè explicantur, atque etiam regula desumpta ex illis; primò, in generali iuxta doctrinam nupèr traditam à nostro Caramuele, scilicèt, probare solum, melius esse, & consultius, & propterea suadendum, sequi semper in dubijs tutiorem partem, quandoque possumus, non tamen esse obligationem, si etiam opposita sit verè probabilis; nam aliundè est etiam alia regula communis iuris, quòd in dubijs melior est conditio possidentis; atque adeò nostræ libertatis. Undè & ipsi Summi Pontifices non semper sunt secuti in rebus

dubijs tutiorem partem, imò nec probabiliorem; vt constat ex pluribus, quæ refert idem Caramuel, & ex illo etiam Moya tom. 1. tractat. 1. quæst. 5. num. 10. & Terillus disput. 26. de conscientia probabili, & tomo de doctrina morum, part. 2. quæst. 44. num. 63. vbi notat, & benè, quòd in eodem titulo *de homicidio*, sunt multa iura, non tutiorem, seu rigidam sententiam, sed benigniorem sunt sequuti, nempe in capit. 9. 13. 14. 16. 21. 22. 23. & 25. Nec potest dici non fuisse in rebus dubijs, siquidem de eis consulebant viri doctissimi Sedem Apostolicam; quòd nisi in rebus maximè dubijs fieri non solet.

68 Deindè, quia si esset præceptum rigurosum, sequi semper tutiorem partem in rebus dubijs, sive incertis, hoc etiam vrget, quamvis opinio tutior esset minus probabilis, & inconspectu etiam probabilioris, dummodò minus tuta. Undè nulla opinio Divi Thomæ, aut Scoti, aut vtriusque, aut cuiuscumque alterius, etsi probabilior, asserens aliquem actum esse licitum, poterit tuta conscientia ad praxim deduci, quia opinio contraria, cum sit pro lege, erit tutior, atque adeò ex necessitate præcepti, etsi minus probabilis, ante ponenda. Ex quo etiam ultra sequeretur, quascumque opiniones faventes liberati, quacumque gaudeant probabilitate, inutiliter prorsus esse ad praxim, & neminem posse illas tuto amplexari, imò peccare, qui eas docent, aut consulant, nisi sint certæ, & non tantum probabiles, seu probabiliores; quòd in rebus moralibus rarò contingit. Videatur Pater Moya, loco nuper citato, à num. 19. vbi viginti opiniones Angelici Magistri in speciali refert minus tutas, & probabiles tantum. Quarè miror, Gonet hoc argumento vt ad probandum, in concursu duarum opinionum æquè probabilium sequendam semper esse tutiorem; cum si aliquid probaret, idem inferatur,



quamvis vna sit probabilior, non tamen tutior: quod ipse negat, imò absolutè vt certum supposuerat (vt ex illo retulimus initio huius sectionis) non esse obligationem istam, quando vna opinio est probabilior, licet minus tuta; quòd idem poterit vrgeri contra Contenson, & alios Adversarios nostræ præcipuæ conclusionis.

69 Nec obstant, quæ ipsi adhuc vrgent contra solutionem, sive explicationem datam: videlicet prædicta iura adducta vt verbis, quæ non solum Consilium, sed præceptum significant; dicunt enim expressè, & absolutè: *Pars tutior est eligenda; pars secura est tenenda; semitam debemus eligere tutiorem; quòd certius existimamus, tenere debemus.* Imò imponitur etiam pœna suspensionis, atque depositionis Episcopatus, in capite *Illud, de Clericorum*, excommunicatione, ei, qui in dubio ibidem expresso tutiorem partem non eligit; quæ pœna non infligitur, nisi ob culpam mortalem, & contra præceptum rigorosum. Præterea, quia, vt notavit Magister Ioannes à Sancto Thoma in præsentem (nempè quæst. 12. articul. 4. num. 11.) Sacri Canones aliquid singulare statuunt in dubijs conscientia, quòd non est necessarium in rebus certis, & ex vtraque parte per se tutis. At qui in his etiam est optimum consilium tutiori parti adherere: ergo in dubijs conscientia amplius intendunt, & præscribunt iura, videlicet, præceptum esse, & non tantum consilium, sequi partem tutiorem; dubiam enim conscientiam ex præcepto etiam naturali deponere tenemur, aut cum illa non operari.

70 Non tamen, inquam, ista obstant; quia in primis, modus ille loquendi non semper denotat præceptum rigorosum, sed aliquando etiam consilium, vt explicat Barbosa tractatu de *Dictionibus usu frequentibus in iure*, Dictione *Debet*. 77. à num. 5. maximè verò vbi subiecta materia præcepto repugnat, quamvis addatur (inquit)

di-

dictio *omnino*: de quo etiam Pater Thomas Sanchez lib. 4. de Matrimonio, disput. 23. num. 2. vers. *Tunc autem*. At in præsentem, vt iam probabimus, materia ipsa repugnat rigoroso præcepto, ex quo sequerentur absurda supra adducta, & correptio alterius etiam iuris, sive regulæ generalis: *In dubijs melior est conditio possidentis*. Deindè, falsum etiam est, quòd in capite *Illud* citato imponatur tam gravis pœna non eligenti præcisè in dubio tutiorem partem, sed (vt legenti patebit) etiam celebranti non deposito prius tali dubio, nec facta diligentia ad illud necessaria, imò, etiam, postea cum notitia iam certa de excommunicatione. Nos autem loquimur in casu, quò licet ad sit dubium speculativum, post factam tamen diligentiam, formetur practicum iudicium certum in favorem libertatis, ex altero principio, seu regula communi dicta, de meliori, nimirum, conditione possidentis.

71 Nec oppositum docuit Magister Sanctus Thomas citato loco, quia solum loquebatur ibi de dubio practico, si perseverat, seu non deponitur, aut reformatur, vt ex verbis illius relatis constat manifestè, & ex alijs, quæ addit num. 13. sequenti: sic ergo (inquit) existente dubio, tenetur, quis tutiorem partem eligere, idest, dubitationem vincere, seu sequi partem non dubiam: quòd duobus modis fieri potest, vel existente dubio pro vna parte tantum, illam relinquere, & aliam sequi, in qua dubium non apparet, vel dubitationem ipsam vincere pro illa parte; qua dubitatio pullat; quòd si pro vtraque parte dubitatio sit, pro aliqua debet superari, & superata dubitatione, pars tutior eligitur, quia cum bona fide, & sine dolo proceditur, et si reducitur ista regula ad aliam de meliori conditione possidentis; illa enim dicitur pars tutior respectu partis dubiæ, quæ dubitationem vincit; & tunc vincitur dubitatio, & pars dubia redditur

tu-



tutior, quando fit sufficiens diligentia pro dubio certificando, & tollendo, hac enim diligentia facta (etiam si in re non possit, certificari, quia nec potest alia diligentia fieri) procedit quis bona fide, & sine dolo; & sic possidet debitè, & rectè suam, nimirum, libertatem utiturque iure suo; & ubi est ius, tutè potest quis illo uti, & talis pars tuta est, & propterea eligibilis: Hæc omnia prædictus Author.

72 Ex quibus constat manifestè, loqui solum de dubio practico in loco illo citato in obiectione, & quando adhuc durat pro aliqua parte, vel pro utraque, & non deponitur post factam diligentiam pro aliqua; nam tunc præceptum, etiam naturale, obligat, vel ad non operandum, vel, ad sequendum, quòd tutius est. At si dubium sit tantum speculativum, & cum probabili iudicio pro utraque parte (in quo sensu nunc loquimur) non negat, posse sequi quamlibet, etiam minus tutam, imò expressè id fatetur, & probat latè in articul. 3. antecedenti, à num. 8. dummodò prius ante operationem deponatur hoc dubium, formando, scilicèt, iudicium practicum omnino certum de usu licito cuiuslibet.

73 Et confirmat ibidem num. 14. ex verbis Divi Thomæ expressis Quodlibeto 8. articul. 13. quæ nos supra retulimus in hac disputatione, sect. 2. ferè in fine, ubi videri possunt, ne ea sæpiùs repetamus. Undè prædictus Author dicto articul. 4. num. 12. ita concludit: Illa (inquit) regula *In dubijs tutior pars sequenda est*, non accipit tutiorem partem comparativè ad aliam, quæ etiam sit tuta, sed adversativè ad aliam, quæ est dubia, ita quòd non utraque pars accipiatur ut tuta (qualis est quælibet verè probabilis, ut prius dixerat in articul. 3. antecedenti) & in illis tutior, seu securior eligatur; sic enim ad consilium, & non ad præceptum pertinet, tutiorem eligere, quia non restringimur meliorem sequi, quando altera est bona. Quid clariùs?

Cæ-

74 Cæterum noto cum Suarez tom. 5. in 3. part. de censuris, disput. 40. sect. 6. num. 8. Iura adducta, sive regulam illam generalem ex eisdem desumptam, non solum esse intelligendâ de dubio practico conscientiæ, nam de illa (inquit) certissimum est insistente tali dubio, eligendum esse id, in quo nullum timetur peccatum; sed etiam de dubio speculativo antecedente ad practicum dictamen ultimum conscientiæ, ut constat ex casu duorum priorum textuum, an Petrus; v. gr. fuerit mortuus ex vulnere inflictò à Paulo Sacerdote, nec nè. Ex quo etiam infert Eximius Doctor, quòd quando in illis textibus dicitur una pars securior, & in altera esse aliquid periculi, non est sermo de periculo culpæ, quia de hoc ipso versabatur quæstio, an ibi esset periculum culpæ, nemoque dubitavit, quòd operari cum periculo culpæ, sit malum: peteret ergo Pontifex principium, vel non rectam rationem afferret, si in illo sensu (de dubio scilicèt practico conscientiæ) illo principio, seu regula uteretur. Vocat ergo tutiorem partem illam, quæ pauciora habet incommoda, & minoris momenti, omnibus pensatis; periculum autem, quòd imminere dicit in contraria parte; non est aliud, nisi, quòd accidere posset, ut in re verus homicidia celebraret, aut ordinaretur; quòd est contra decentiam ipsius rei, & Ecclesiæ intentionem, quamvis sine peccato formali, ob specialem reverentiam debitam in tali materia.

75 Undè etiam sumitur altera solutio communis, quæ tradi solet ad iura supra adducta, videlicèt in eis casibus, de quibus loquuntur, esse specialem aliquam rationem, quare sit eligenda semper in eis tutior pars; quæ ratio satis etiam fuit, ut Pontifices tunc prudentissimè ita iudicaverint, atque statuerint; non tamen inde inferri, eandem esse obligationem in alijs casibus diversis, nec in iure expressis, ut egregie admodum (ait

D

Pa-



Pater Thomas Sanchez lib. 1. summæ, cap. 10. num. 15. in solutione ad primum) notavit loco iam citato Eximius Doctor, num. 9. cum potius omnia iura clament, in dubio delicto reum esse absolvendum, ex regula *favorabiliores*, digestis de regulis iuris, & regula *cum sunt*, eodem titulo in 6. ibi: *Cum sunt iura partium obscura, reo favendum est, potius, quam actori.* Vbi Glossa: Ex quo Actor (inquit) non probat delictum, reum esse absolvendum. Et ex capite *vnico*, vt Ecclesiastica beneficia, &c. ibi: *Cum enim iuris sit explorati, quod Actore non probante, is, qui convenitur, etiam si nihil praestiterit, debet absolvi.* At quoties factum manet dubium, manet delictum non probatum: Ergo à prædicta regula non est recedendum, absque speciali aliqua ratione, aut iure, sive lege expressa, vt infert benè Sanchez num. 48. Vt autem melius hæc, & alia intelligantur, & in particulari ad praxim applicentur, sit.

SECTIO V.

Adhibentur aliqua limitationes in casibus particularibus doctrinæ huc vsque traditæ.

76 **S**uppono prius excommuni sententia, opinionem probabilem, vt sit sufficiens ad formandum iudicium practicum, & immediatum ante operationem, & vt ista sit licita, debere esse de illa, atque eius honestate, non solum absolutè, & secundum se considerata, seu præcisivè à circumstantijs hic, & nunc concurrentibus, sed potius omnibus illis inspectis etiam in particulari; quia, nimirum secundum varias circumstantias variari potest, imò, & debet sæpè iudicium de ipsa operatione, & quæ absolutè videbatur licita, hic, & nunc

nunc iudicari illicita, ob legem prohibentem vel alteram rationem specialem, quæ occurrit. Undè infertur eam tantum esse dicendam rectam, & veram conscientiam, quæ est talis practicè, & non duntaxat speculativè, idest, quæ conformatur cum obiecto, aut operatione prout hic, & nunc inspecta, & comparata ad regulas rationis, non absolutè tantum, seu secundum se, qualiter potest esse iudicium falsum speculativum de illius bonitate, & tamen verum aliud practicè dictans hic, & nunc eam esse eliciendam.

77 Hoc supposito, dicimus, quod quamvis posita conclusio, sive doctrina huc vsque tradita, de licita, nimirum, electione cuiuscumque opinionis verè probabilis, etsi minùs tutæ, atque etiam in concursu probabilioris, & tutioris, sit vniversalitè vera absolutè, & secundum se; potest tamen falsificari, aut non habere locum, in aliquibus casibus particularibus, ob speciales circumstantias in eis concurrentes, & quæ inspicì debent ad formandum dictamen practicum, & verum, sicut quæcumquæ aliæ, vt suprà dicebamus. Quando autem circumstantiæ certò reddunt illicitam operationem hic, & nunc, iam eo ipso opinio de honestate eius, quæ erat probabilis abstrahendo ab eis circumstantijs, redditur prout improbabilis, hic, & nunc, sive in praxi, & consequentè etiam insufficiens ad securitatem conscientiæ. Id quod non solum potest evenire de opinione aliàs minùs probabilis absolutè, & secundum se, sed etiam de probabiliori, vt notant optimè Granadus controvers. 2. de Actibus humanis, tractat. 12. disput. 4. sect. 3. num. 27. Vbi apponit exemplum: v.g. si superior mihi præcipiat aliquid, quod ego minùs probabile reputo, imò & minus tutum, verè tamen probabile, atque tutum, nam teneor obedire, atque adeò iam opinio mihi absolutè probabilior, hic, & nunc non est talis, imò transit in impro-



babilem præticè, cum iuxta eam nequeam operari.

78 Nunc iam in singulari aliquos casus explicemus, in quibus non verificatur prædicta tradita Doctrina, ob speciales aliquas rationes, seu circumstantias concurrentes; & in primis dicendum est de illis, de quibus iura suprâ adducta sectione præcedenti loquuntur, nam quod in tribus prioribus, scilicet, capite ad *Audientiam*, & capite *Significasti*, el segundo, & capite *Petitio, de homicidio*, declarantur irregulares Clerici quidam graviter alios percipientes, dubios tamen, an eos occidissent, sive ex suis vulneribus eorum mors sequuta fuisset. Undè in dubio homicidij voluntarij, ex vi horum iurium, tenemur semper sequi securiorem, aut tutiorem partem, quantum ad poenam contrahendam irregularitatis, sive abstinendum ab exercitio, aut susceptione ordinarum; ob specialem, scilicet, rationem, sive reverentiam debitam Altari, & ne fortè postea innotescat verum homicidam Sacrum celebrasse; quare non inde possumus concludere, aut inferre idem esse dicendum in alijs dubijs, sive iuris, sive facti, imò, nec etiam in alijs irregularitatibus, ut latè explicant, & probant Patres Suarez, & Sanchez ubi suprâ, & alij plures, quos sequuntur, & referunt Ioannes Angelus Bosius tom. 1. variarum, part. 2. de conscientia dubia, tit. 1. §. 62. à num. 1353. Diana part. 3. tract. 5. resolut. 72. & Arriaga in præfenti, disput. 25. num. 18. & 19.

79 Qui etiam addunt alteram rationem specialem, ob quam in tali casu de homicidio voluntario dubio Summi Pontifices iudicaverint esse declarandum, ut irregularem Clericum illum, qui alterum percussit, etsi dubitet, an etiam occiderit, atque adeò quo ad hoc sequendam esse partem magis tutam; quia nimirum, cum Præsbyter, seu Clericus certus esset de lege prohibente, & intelligente hanc poenam propter homicidium, & simul etiam

etiam de ipso vulnere ab eo inflictò, & morte etiam sequuta, & solum dubitaret, an ex vulnere fuerit sequuta; possessio stabat pro præcepto, seu lege, & propterea favendum potius illi erat, quam libertati ita vulnerantis, quæ solum habebat ius dubium, contra legem certam. Videantur dicta suprâ à nobis in hac disputatione, sect. 3. ferè in medio, in tertia, & principali ratione nostræ conclusionis, delumpta ex regula communi Iuris, quod in dubijs sit melior conditio possidentis. Ubi ex eadem cum Magistro Ioanne à Sancto Thoma inferabamus etiam, §. *Deinde profequitur*, quod sit constet de existentia, & intelligentia legis, & non sit certitudo, sed dubium de eius exceptione, tunc standum pro lege, & non pro libertate.

80 Præterea addit Pater Suarez dict. disput. 40. de censuris, sect. 6. num. 10. decisiones prædictorum iurium 1. & maximè locum habere in foro exteriori, quod notavit Navarrus in capite *Si quis autem*, de poenitentia, distinct. 7. num. 38. motus ea ratione, quia ius humanum magis obligare solet in exteriori foro, quam in interiori. Melius tamen colligitur ex ipsis textibus, nam in priori, scilicet, capite *Ad audientiam*, verba Pontificis relata non diriguntur ad ipsummet Præsbyterum irregularem, sed ad Iudicem, seu Prælatum, cui dicitur: *Vos convenit iniungere Præsbytero memorato, ut in Sacris Ordinibus non ministret.* Undè satis apparenter dici posset (ait ibi Suarez) ex vi illorum verborum non haberi in eo casu teneri eum, qui dubitat, se abstinere à Sacris, donec ei à superiore iniungatur (maximè in dubio de homicidio occulto, ut ponderat sequenti numer. 11.) quia verba dicti textus requirunt hominis sententiam, seu præceptum: Item, quia aliàs teneretur sic dubius ab omnibus ordinibus, sive eorum exercitio abstinere, quia irregularitas homicidij ad omnibus separat; & tamen ibi



dicitur, non esse à minoribus ordinibus abstinendum.

81 Nihilominus in re morali, & gravi non est (inquit, num. 12.) deferenda communis sententia, quæ habet in casu illorum textuum teneri vnumquemque in conscientia ad abstinendum ad vsu ordinum, & ita etiam esse in conscientia consulendum, licet res nullomodo devoluta sit ad forum externum. Et ratio reddi potest, quia Pontifices declarant, in illo casu servandam esse irregularitatem: ergo intendunt docere obligationem illam oriri eo modo, quo irregularitas nasci solet, scilicet, ex facto ipso, supposito iure, absque alia iudicis sententia. Undè in prædicto capite *Ad audientiam* permissio facta ministrandi in minoribus Ordinibus fuit per modum dispensationis concessa; *Poteris* (ait) *concedere, ut minoribus Ordinibus sit contentus*; quod indicat ab illis etiam abstinendum fore ex vi contractæ irregularitatis: Vide Leandium part. 5. tractat. 1. quæst. 16. vbi tanquam ferè, certum hoc asserit; & in quæst. 18. sequenti, ut communius, & probabilius, quod supra dicebamus, nempe, extra casum istum de homicidio dubio, in nullo alio incurri irregularitatem propter dubium de facto aliquo, sive defectu, cui illa sit imposta; quia ut constat ex capite *Is, qui*, de sententia excommunicationis, in sexto, nullomodo contrahitur irregularitas, nisi in casibus à iure expræsis, quales sunt solum de homicidio dubio in iuribus relatis.

82 Secundus casus extat in capite *Si quis positus*, & in capite *Si quis autem*, de poenitentia, distinct. 7. vbi ex Divo Augustino homil. 41. referuntur verba illa supra posita, sectione præcedenti, nempe; *Ergo tene certum, & dimitte incertum*. Ex quibus, non solum consilium (ut dixit Pater Thomas Sanchez vbi supra, cap. 10. num. 15. solutione ad 4.) sed præceptum colligitur sequendi tu-

tius

tius, ob specialem, scilicet, rationem, quæ etiam vrget in tali casu; loquebatur enim de poenitentia non differenda vsque ad vltimum vitæ, quo tempore, & infirmitas agravat, & necessitas magis, quam libera voluntas movet ad veram poenitentiam, ut idem Divus Augustinus, libro de vera, & falsa poenitentia, cap. 17. (& refertur in capite sequenti, *nullus expectet*, eodem titulo) per hæc verba explicavit: *Nullus expectet, quando iam peccare non possit; arbitrij enim querat libertatem, ut delere possit commissam, non necessitatem; qui prius itaque à peccatis relinquitur; quam ipsi relinquat, ea non liberè, sed quasi necessitate condemnat, &c.* Undè etiam in sermone 57. de tempore: *Poenitentia* (inquit) *quæ ab infirmo petitur, infirma est; quæ autem à moriente petitur, timeo, ne & ipsa moriatur*. Quare, & Theologi communiter asserunt, dari præceptum poenitentia, etiam ante mortem, sive illius articulum; de quo videatur Cardinalis Lugo de poenitentia, disput. 7. sect. 11. §. 2. à num. 243. & Magister Prado, tomo etiam de poenitentia, tractat. 7. quæst. 2. dub. 3. §. 1. Est igitur diversa ratio, atque specialis in hoc casu, ob periculum maius, atque incertitudinem, non solum speculativam, sed practicam.

83 Tertiùs casus refertur in capite *Iuvenis*, de sponsalibus, in quo, cum quidam Iuvenis puellam non dum septennem duxisset, & quamvis ætas repugnaret, ex humana tamen fragilitate forsitan tentavit, quod complere non potuit (nimirum, copulam cum ea habere) & ideo Sedes Apostolica consuleretur, an in hoc dubio impedimentum publicæ honestatis contraxisse dicendus, ita ut secundum Matrimonium, quod cum quadam consobrina, prædictæ puellæ postmodum celebravit, dissolvendum foret? Respondit Summus Pontifex, noster Eugenius Tertius, dissolvendum esse: *Quia in his* (inquit) *quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debe-*

D 4

mus,



mus, tum propter honestatem Ecclesie, tum propter prædictam dubitationem. Circa quem textum variæ sunt sententiæ, & interpretationes Doctorum, quas referunt Glossa in dicto capite, & Barbosa in Collectaneo ad illud, num. 2. & 3. & Sanchez ubi supra, solutione ad tertium, continet enim non exiguam difficultatem huiusmodi responsio Summi Pontificis.

84 Omnis tamen alijs, verior, atque communior interpretatio est, quam tradunt iam citati Authores, & Suarez de Religione 2. tom. lib. 4. de voto, cap. 5. num. 17. & Palus tom. 1. tractat. 1. de conscientia dubia, disp. 3. punct. 6. num. 4. scilicet, ideò in tali casu ita declaratum fuisse, quia eo ipso, quòd Matrimonium ultimum contractum fuit cum dubio illo de valore priorum sponsalium, imò, & affinitate etiam contracta cum secunda vxore per copulam tentatam cum priori illius consanguinea, non possidebat bona fide prædictum Matrimonium vitium, quòd mala fide potius celebratum fuit, atque illi ideò non favendum. Rursus, quia ex eo, quòd Iuvenis copulam tentavit cum priori puella, præsumptio sumpta fuit, quòd sponsalia etiam cum illa celebrata valida fuere, atque ex illis ortum fuerat impedimentum publicæ honestatis, quia licet puella non complevisset septennium, adhuc tamen cum illa contraxit, aut malitiam supplebat ætatem, aut videbatur postea consensisse, cum complevit septennium. Unde diversa est etiam ratio, atque specialis in hoc casu, quæ in alijs dubijs non currit, sed potius libera voluntas possidet, & propterea favendum illi.

85 Duo alia iura, quæ addit Contenson tom. 3. citato, dissertat. 6. cap. 1. speculat. 3. in quibus etiam tutior pars eligenda præscribitur, eodem modo sunt interpretanda; imò ad primum desumptum, ex capite *Illud*, de Clerico excommunicato, in quo præcipitur deponi Episc.

Episcopum, qui in dubio, an esset excommunicatus, partem tutiorem non eligit abstinendi se à sui officij ministerio; iam supra diximus sectione præcedenti serè in medio, prædictam Episcopum temerariè id fecisse, cum per famam de sententia contra eum pro lata sufficienter illi constaret, ut saltem se abstineret, vsque dum magis veritatem sciret; imò etiam postquam certò novit esse reverà excommunicatum, divina sibi fecit celebrari, & communioni fidelium ingressit se, sub spe veniæ, ut textus ipse refert. Ex quo non constat etiam, depositionis poenam fuisse de facto inflictam illi, imò potius contrarium, nam ita concludit: *Cum eo misericordiam facientes poenam, quam Canon minatur his, qui post excommunicationem divina præsumserint officia celebrare, vel se celebrationi ingresserint divinorum, ei non duximus infligendam.*

86 Ubi etiam noto, textum non dixisse, hanc poenam, Canonem minari his, qui dubij de excommunicatione non eligunt tutiorem partem, scilicet se abstinere; sed his, qui post excommunicationem, id est, verè contractam, atque eis etiam notam. Nam iuxta communem, atque probabiliorem opinionem, quam sequitur Leander part. 5. citata, tractat. 2. disput. 21. quæst. 19. ille, qui dubitat, an censura aliqua irretitus sit, nec ne, si deponat practicè dubium, minimè efficitur irregularis celebrando, aut aliud administrando Sacramentum, quamvis postea appareat, verè fuisse censura aliqua irretitum. Si deponat, inquam, practicè dubium, videlicet prudentè, & post sufficientem diligentiam factam; quamvis remaneat dubium speculativum ex non inventa adhuc veritate; aliter enim, si imprudentè, & absque sufficiente diligentia id faceret; sicut mortalitèr peccaret, & contra censuram, de qua dubitaret, ita & irregularitatem ex vi illius incurreret, & prædictus Leander ex Suarez advertit. Quare nec etiam in adducto textu dici-



dicitur expræssè, depositionis poenam, sivè irregularitatem infligendam forè Episcopo illi ob celebrationem cum dubio, sed tantùm, quia cum notitia iam certa, aut dubio non deposito, post sufficientem diligentiam factam.

87 Alius textus adductus à Patre Contenson desumitur ex Clementina *Exivi*, de verborum significatione, ubi Fratribus Minoribus Sedem Apostolicam consulentibus, an omnia verba suæ Sanctæ Regulæ modò imperativo expræssa ligarent sub mortali? Ita respondit illis Clemens V. in Concilio Vienensi: *Quòd in his, quæ anima salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientia, pars securior est tenenda.* Undè infert Contenson: ergo in quæstionibus, dubijsque moralibus, non ad probabilem tantùm, sed ad tutam opinionem librandas esse decisiones, Pontifex decrevit? Cæterùm hoc esse consilium tantùm, si univèrsalitèr sumatur, manifestè ex prædicto textu potiùs colligitur; nam solùm dicit, *Quòd advitandos remorsus conscientia pars securior est tenenda;* & hoc ab his, scilicèt, qui omnem perfectionem, & puritatem animarum ambiunt, ut erant illi, qui eum consulebant. Undè dixerat priùs: *Quia verò dicta Sancta Regula Professores, ac Emulatores devoti, ut & Alumni, ac veri filij tantè Patris, affectabant, sicut & ferventèr affectant, ad purum, & ad plenum præmissam regulam firmitèr observare, & post pauca: Verùm, quia plerumque ubi culpa non est, eam timere solent conscientia timorata, &c.*

88 Atque ideò ultimò respondet ita: *Dicimus, quòd licèt Fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum, seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur; expedit tamen ipsis Fratribus ad observandam puritatem Regulæ, & rigorem, quòd adea, sicut ad æquipollentia præceptis se noverint obligatos, quæ hic inferius annotantur.* Et postea aliqua in particulari

particulari declarat, & assignat, ad quæ teneantur ut præcepta, attendendo, nimirùm, tum ad vim verborum Regulæ, tum ad rationem materiæ, tum etiam ad utrumque simul, ut ait ibi Pontifex. Igitur potiùs ex hoc textu confirmatur, non esse univèrsalitèr præceptum sequendi semper tutiorem partem, licèt id expediat, sivè sit optimum consilium: nisi, quando ex vi verborum legis, seu ratione materiæ, aut altera speciali, oppositum probetur. Quare Antonius Coelladei, etsi sententiam Contenson defendat, tamen fatetur, lib. 4. de recta regula morum, quæst. 9. §. 5. propè finem, huc textum, & alium supra etiam adductum, ex capite *Iuvenis*, de sponsalibus, esse abs re ad præsens institutum.

89 Nihilominus etiam si potuisset alitèr Summus Pontifex decernere, seu declarare, circa ea, quæ in particulari præcipit observanda tanquam obligatoria ex vi Regulæ Sanctæ; at post declarationem istam iam Fratribus non licuit sequi aliam opinionem, quam prius aliqui ut probabilem fortassè defendebant: *Attendentes* (inquit ibidem Summus Pontifex) *quæ dubium poterant afferre, sensum, in ipsius Regulæ seriè contineri, &c.* Nam per prædictam Sedis Apostolicæ declarationem certum deinceps fuit, quòd antea dubium tantùm erat; *ut certificati* (ait etiam) *per ipsam, &c.* Itaque verùm quidem est, quòd ex vi huius legis Pontificæ tenentur Fratres Franciscani sequi tutiorem partem in eis, quæ designat Pontifex, & præcipit, sivè declarat ita in Regula ipsa contineri, per modum scilicèt præcepti rigorosi; non tamen antea, si de illis probabilitèr aliud iudicabant.

90 Qualitèr etiam nunc dicendum est de aliquibus Propositionibus, quàs novissimè Summi Pontifices Alexandri VII. & Innocentius XI. ut certas declararunt, damnantes scilicèt contrarias, de quibus prius erant opiniones, quæ iam sunt improbabilis, saltem in sensu, quo



quo damnantur, atque in ordine ad praxim; & quia sunt plures, nec omnes ad præsentem tractatum spectantes, imò quinque dumtaxat, idè istas solùm referam, relictis alijs alibi videndis.

SECTIO VI.

Referuntur, atque explicantur breviter Propositiones quinque novitè damnatæ.

91 **P**rima ergo Propositio ab Alexandro VII. damnata, anno 1665. die 24. de Septembris (& inter alias 27.) hæc erat: *Si liber sit alicuius Iunioris, & Moderni, debet opinio censei probabilis, dummodò non constet, reiectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Secunda Propositio ab Innocentio XI. damnata, anno 1679. die secunda Martij (& est prima ex 65. ab illo reprobatis) ità se habebat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictæ tutiori; nisi vitet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia tantum probabiliter utendum non est in Collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Tertia (& secunda in Ordine ex prædictis) Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem. Quarta (& est tertia ex damnatis) *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quamvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confissi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Quinta (& est quarta in Ordine) *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.*

92 Omitto alias, quæ licèt agant etiam de probabilitate aliquarum opinionum in particulari (& propterea damnentur), non tamen de usu licito opinionis pro-

probabilis veluti in communi, de quo solùm nos agimus, atque idè nec disputamus, an hæc, vel illa opinio in singulari sit verè probabilis; sed supposito potiùs, eam esse verè probabilem, an licèt possimus sequi, etsi minùs probabilem, & minùs tutam, etiam in conspectu tutioris, & probabilioris? & hoc nos affirmavimus. Nec dicas, id expressè damnari à Summis Pontificibus in iam relatis quinque casibus, seu saltim quatuor. Ergo & nostra sententia implicèt damnatur, quæ univèrsaliter affirmat, posse sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Nam respondeo ex læpissimè dictis (quòd præoculis habendum est) opinionem probabilem, de qua nos loquimur in dicta conclusione, non esse tantum, quæ absolutè, & secundum se, sive speculativè iudicat de obiecto, & ut sic est probabilis, sed quæ hic, & nunc, & omnibus inspectis; hoc autem modò iam non est probabilis opinio quælibet damnata, licèt solùm quo ad praxim; atque adè nec continetur in propositione univèrsali nostræ conclusionis, & consequenter nec ista ullomodò damnatur.

93 Quare, & Pater Oviedo in præsentì, tractat. 5. de conscientia, controvers. 3. punct. 2. postquam in num. 21. eandem nostram conclusionem absolutè, & univèrsaliter etiam assertisset; postea in num. 22. sequenti, hæc addit: Non nullæ huic sententiæ solent limitationes apponi, quæ ad rem non sunt, videlicèt si opinio minùs probabilis, & minus tuta, non sit indammum tertij, veluti si confessarius iuxta probabilem tantum opinionem circa valorem Sacramenti pœnitentem absolveret, aut Medicus infirmo Medicinam applicaret, & alia huiusmodi; verumtamen, ut iam dixi, limitationes istæ ad rem non sunt; aliud enim est, probabile esse, Sacramentum sub hac materia, vel sub hac forma, validum esse, aliud verò esse probabile, me posse sub eadem materia, ex forma Sa-



cramentum conficere. (Et idem est de Medico quo ad medicinam applicandam infirmo) potest enim quis dicere, primum esse probabile, & secundum esse improbabile, vel ob præceptum oppositum præscribens, vel ob aliam rationem specialem.

94 Similiter Lumbier tom. 3. in Notitia, Propositionum 65. novissimè damnatarum, advertent. 2. notation. 2. docet, & benè, propositiones istas non esse damnatas vt falsas absolute, sive speculativè (etsi plures ita etiam sint, aut fortè omnes) & consequentè, nec vt improbables in eodem sensu, sed tantum vt scandalosæ, & perniciosas in praxi, vt ex verbis ipsis Decreti Pontificis constat: *Statuit (inquit) & decrevit idem Sanctissimus Dominus noster Propositiones sequentes, & unamquamque ipsarum; sicut iacent, vt minimum, tanquam scandalosæ, & in praxi perniciosas esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet.* Ut ergo sunt aliquæ actiones externæ, & si, in se absolute non malæ, scandalosæ tamen, & propterea evitandæ sub peccato mortali, ratione scilicet periculi, aut occasionis alios excitandi ad malum; ita etiam sunt aliquæ opiniones, quæ licet non sint absolute falsæ, nec omnino improbabiles, sunt tamen perniciosæ in praxi, atque scandalosæ, ob similem rationem. Vide etiam ipsum Magistrum Lumbier num. 1672. & quæ nos supra diximus, sect. 5. præcedenti, num. 1. & 2.

95 Quòd si adhuc dicas ex Magistro Ferre 2. tom. in 1. 2. tractat. 6. quæst. 10. §. 1. num. 387. vers. 2. quòd si in hoc sensu tantum sumatur probabilitas in nostra conclusione, scilicet, practicè hic, & nunc, omnibus inspectis; nulla esset etiam difficultas in presenti quæstione: quia remanere, aut esse opinionem aliquam verè probabilem prædicta probabilitate practica, idem est atque remanere, aut esse sequibilem prudenter, & moralitèr:

Un-

Undè in quacumque etiam materia in dubitatum esset, sequi eam posse. Respondeo etiam ex dictis locis nuper citatis, duplicem esse probabilitatem practicam, iuxta plurium loquendi modum, aliam nimirum propriè talem, & quæ reperitur in solo ultimo iudicio practico dirigente, & movente, seu determinante voluntatem ad opus, hic, & nunc exercendum, & quòd dicat, honestè, aut inhoneste fieri secundum regulas rationis; aliam non ita propriam, quæ datur in iudicio altero antecedente, quòd tamen iudicat de operatione, non tantum absolute, aut secundum se, sed ad hic, & nunc considerata, atque omnibus inspectis, an sit nimirum prohibita, vel, non prohibita, sive mala, aut bona; non verò an hic, & nunc honestè, aut inhoneste fieret.

96 Ex his igitur duabus probabilitatibus, quæ practicæ appellantur à pluribus, non de priori, quæ propriè est practica, sed de posteriori, & quæ proprius dicenda erat speculativa, procedit quæstio præsens, an, scilicet, sufficiat minus etiam probabilis opinio, & minus tuta, sive iudicium de honestate actionis, sive bonitate, vt sequi illud possimis, atque alterum formare certum de licita elicentia illius hic, & nunc, omnibus inspectis, relicta etiam tutiori, & probabiliori? In quo est non levis difficultas, aut apparet aliquibus, vt supra vidimus, etsi nobis videatur nullam esse debere, eo ipso, quòd sit verè probabilis opinio, hic, & nunc, omnibus inspectis, vt benè probat ratio Ferre, non tamen quia idem sint hæc duo, esse verè probabilem antecedentè, ac esse actu sequibilem in praxi (licet vnum ex altero inferatur) etiam in concursu probabilioris, & tutioris; quòd negant iam supra relati.

97 Nunc iam in singulari videamus singulas Propositiones damnatas: Prima erat: *Si liber sit alterius iunioris, & Moderni debet opinio censeri probabiles, &c.* quæ ita



ita intelligenda est, vt præcisè ex hoc solum habeatur vt probabilis; nam si ulterius attenditur autoritas doctæ opinionem, vel ratio, aut fundamentum eius, & sint reverà, aut videantur sufficientes ad probabilitatem illi conciliandam, non damnatur, quòd possit, imò, & debeat iudicari probabilis. Undè locus relinquitur ad quæstiones communes, vtrum ad probabilitatem extrinsecam opinionis sufficiat autoritas vnius gravis Doctoris de qua agit latè Pater Moya tom. 1. tractat. 1. quæst. 4. per totam, vbi asserit, quòd si opinio singularis sit in casu, aut materia ab alijs non ventilata, conveniunt omnes, vnius viri docti, & in Theologia morali versati, autoritatem sufficere ad conciliandam suæ opinioni eam probabilitatem, quæ alijs in praxi vti possint, quia tanti viri autoritas non est fundamentum levis momenti.

98 Imò etiam datur locus ad asserendum (sine contraventione scilicet ad hoc Decretum Pontificium) quòd quamvis opinio vnius gravis Doctoris in re morali sit contra communem omnium aliorum, qui cum præcesserunt, fiat nihilominus ex illius autoritate sufficienter probabilis, vt ad praxim deduci possit; id, quòd plures docuerunt, quos in particulari, atque aliquorum etiam verba refert ibidem Pater Moya num. 2. & 3. sed vt benè resolvit, & explicat sequenti §. 3. num. 8. non quælibet autoritas vnius tantum Doctoris, regulariter loquendo, est sufficiens ad hoc, sed requiritur magna, & quæ possit contra omnium etiam ponderare graviter. Quid autem requiratur in particulari ad istam gravitatem magnam contra communem opinionem; non spectat ad nostrum institutum præsens in hac disputatione, in qua, vt dicebam, potius supponendum est, opinionem aliquam esse probabilem, quàm de eo disputandum; quare nec etiam ista prima Propositio, ex damna-

tis;

tis, tam propriè, atque directè pertinet ad præsentem quæstionem.

99 Secunda Propositio ex damnatis, & quæ magis directè ad præsens institutum spectat, hæc erat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilis de valore Sacramenti, relicta tutiore, &c.* de qua etiam iam citatus Lumbier tom. 3. à num. 168 1. & Filguera in sua Lucerna decretali, Propositio. 1. pag. 22. cum sequentibus, & novissimè Magister Lastra tom. 1. in Decretales, propè finem, in explanatione censuræ Propositionum damnatarum ab Innocentio XI. Propositione etiam 1. pagin. 58 1. & alij in manuscriptis; qui omnes notant, & distinguunt id, quòd prius notaverat, atque distinxerat Ioannes Santius in Selectis, disputat. 44. numer. 3. nimirum, duplex esse genus rerum, quæ ad valorem Sacramenti concurrunt, suntque necessaria omnino; quædam institutæ à Christo, quædam vero ab Ecclesia, in aliquibus saltem Sacramentis. Priora sunt materia, & forma, & intentio Ministri, quæ cum à sola Christi institutione pendeant, sic, & non aliter, efficiunt verum Sacramentum, qualiter reverà institutæ sunt, quamvis ex opinione probabilis aliter fiant. Quas etiam res Filguera, & Lastra intrinsecas appellant ad constitutionem Sacramenti, sive ad eius valorem.

100 Aliæ verò sunt (quas extrinsecas vocant prædicti Authores) videlicet in Sacramento Pœnitentiæ, quòd talis, vel, talis confessarius habeat iurisdictionem, vel, non? Aut in Sacramento Matrimonij, quòd talis, vel talis contractus sit Matrimonium, vel non? Cum enim Sacramentum Pœnitentiæ sit per modum iudicij, quòd requirit iurisdictionem in proferente sententiam (qualis est confessarius) & designatio subditorum in particulari, atque adeò etiam collatio iurisdictionis

E

ois



nis in Pœnitentes, fuerit à Christo Ecclesæ, sive suo Vicario commissa, ideò ab eo dependet, quòd talis, vel, talis, confessarius habeat, vel, non, huiusmodi iurisdictionem in Pœnitentem. Similiter etiam, quia Matrimonium fuit à Christo institutum per modum contractus, seu potius supra illum, pendet ab Ecclesia, in directè, vel, mediatè, quatenus potest contractum irritare, sive ad eius valorem aliqua statuere, sine quibus nullius sit valoris; vt explicant communiter Theologi de utroque Sacramento, & inter illos Pater Thomas Sanchez tom. 1. de Matrimonio, lib. 3. disput. 4. concl. 3. num. 6.

101 Ex his igitur dicendum est cum prædictis Authoribus, damnari ab Innocentio XI. in relata Propositione, non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, relicta tutiore de valore Sacramenti in rebus pertinentibus ad primum genus, idest, à Christo institutis, vt sunt materia, & forma, & intentio Ministri, ob rationem iam datam, quia nimirum, requiruntur in re ex sola Christi institutione: Undè nec opinio probabilis, imò nec ipsamet Ecclesia, supplere potest defectum illarum, sicuti nec variare, aut alias statuere, quæ loco illarum faciant Sacramentum validum. Cum ergo sit irreverentia gravis, absque causa, vel aliqua necessitate efficere Sacramentum irritum, aut huic periculo se exponere, atque etiam contra charitatem proximi illud sic recipientis sine fructu, aut effectu, tenetur eo ipso Minister conferens non vti opinione solum probabili, etiam si probabiliori (cum adhuc possit esse falsa) sed dum potest, tutiore.

102 Ad quòd conducit discrimen assignatum communiter ex Aristotele inter prudentiam, & artem, sive inter hoc, quòd est tantum operari honestè, vel efficere alia, quæ ad finem aliquem Ordinantur in re ponendum. Addit tamen *absque causa, vel, necessitate*; nam si

hæc

hæc gravis ad sit; v.g. cum vrget proximum periculum vitæ in puero non baptizato, nec esset aqua naturalis, quæ est materia certa, sed rosacea, quæ est tantum probabilis; tunc poterit Minister hac vti, & sic conferre Sacramentum, quòd quasi cedit suo iuri, tunc ad reverentiam sibi debitam, ob Animæ salutem proximi, propter quàm omnia Sacramenta instituit Christus principaliter.

103 At verò in alijs rebus posterioris generis, quæ ab Ecclesia pendent, vel, ab ea sunt institutæ, potest opinio ipsa probabilis, si verè est talis, facere quòd existant in re, quamvis antea non fuissent, atque adeò non damnantur in adducta Propositione, quòd in eis sit licitum sequi opinionem probabilem, relicta tutiore, imò nec etiam tutior est formalitèr magis vna, quàm alia, siquidem quælibet probabilis ponit in re id, quòd Ecclesia statuit tanquam necessarium ad efficiendum Sacramentum validum, videlicet iurisdictionem in Confessario requisitam ad Sacramentum Pœnitentiæ, quamvis antea non fuisset positivè concessa à Summo Pontifice, eo enim ipso, quòd existimeretur per opinionem probabilem verè fuisse concessam, conceditur re vera, per præsumptam illius voluntatem, sive ratihabitionem de præsentate, non minùs, quàm si per errorem communem sic iudicaretur, vt docet communis sententia, quàm sequitur Leander tom. 1. de Sacramentis, tractat. 5. disputat. 11. quæst. 103. & Dirna pluribus in locis à Leandro relatis, & in Summa Dianæ, verbo *Opinio probabilis*, n. 8. similiter in Sacramento Matrimonij, non est damnatum sequi posse opinionem probabilem circa impedimentum, aut eorum dispensationes, quæ ab Ecclesia dependent.

104 Et ratio universalis est, quàm tradit iam citatus Santius num. 3. *S. Alia verò res sunt*; quia cum hæc dependeant à Summo Pontifice, & ipse conscius opinionem existere probabilem de illis, tacet, nec contradicit,

E z

cent.



tenetur consentire, & sic illas concedere: Rati habitio enim de præsentia æquivaleret licentiæ expressæ, ex omnium ferè mente, quos refert ibi latè, & sigillatim prædictus Author. Qui etiam addit §. sequenti, quòd idem est dicendum, licèt Summus Pontifex ignarus esset talis opinionis (quòd ferè incredibile est, quandò sunt ita communes) quia præsumi debet, nolle tot Confessiones, aut Matrimonia nulla fieri, & in dispendium Animarum, illarumque gravamen; quæ est ratio, cur error communis iurisdictionem tribuat non habenti, ex ipsa dispositione iuris, in lege *Barbarius*, digestis de *Pratore*, ne scilicèt sequantur damna, & incommoda communi bono; opinio autem probabilis errorem etiam continet communem, sive ignorantiam invincibilem, & publicam, ut supra dicebamus sect. 3. in probatione nostriæ conclusionis, & eo ipso quòd probabilis sit, titulum tribuit coloratum, sive potius supponit: Undè non minus potest, quàm communis error cum titulo colorato.

105 Cùm igitur Propositio damnata univèrsaliter loquatur, sufficet quòd de prioribus rebus, & quæ ab Ecclesia non dependent, præcisè intelligatur, ut absolute sit damnata, & proprie intelligatur; quamvis ad alias res secundi generis non extendatur Pontificia damnatio, in quibus potest esse locus ad vitandum periculum non efficiendi verum Sacramentum ex vi opinionis probabilis; quòd tamen in rebus prioris generis neutiquàm vitari potest, nisi quòd tutius est sequendo, & non solum probabile, quòd potest esse falsum, nec suppleri potest per errorem communem, id quòd est necessarium. Addit etiam, quòd neque in istis rebus prioris generis necesse est, quòd intelligatur Propositio damnata quantum ad materiam remotam Sacramentorum, sed tantum proximam, quàm Christus Dominus expressè instituit, & quæ formalitèr, atque immediatè Sacramentum

constituit. Undè locus relinquatur, ut sequi possint adhuc opiniones probabiles circa numerum, v. g. aut qualitatem peccatorum, sive circumstantiarum, quæ sunt ex necessitate in confessione explicanda, & alia huiusmodi, quæ pertinent ad materiam remotam; nam quamvis opinio ipsa probabilis circa illam sit falsa, non idèò materia proxima formalitèr variatur, prout à Christo instituta; quòd sufficit, ut Sacramentum sit reverà validum, licèt non in omnibus, saltim in aliquibus; quamvis enim sit falsa opinio negans non esse necessario explicandas in confessione circumstantias, v. g. aggravantes, non mutant speciem, sive peccata dubia, &c. nihilominus integra erit confessio ipsa formalitèr, sive integritatem formalem habebit tunc, quæ est proxima materia.

106 Notantèr autem dixi: *Licèt non in omnibus, saltim in aliquibus Sacramentis*; quia in aliquibus etiam materia remota fuit à Christo Domino determinata, ut in Baptismo, & Eucharistia, & alijs; in poenitentia verò solum præscripsit, & determinavit materiam proximam, nimirum confessionem, verumque dolorem peccatorum mortalium, de quibus recordatur poenitens, aut explicare potest; & relinquatur locus, ut hoc verificari possit, quamvis non omnia expressè, & in particulari confiteatur, vel, defectu memoriæ, vel, ex alia ratione, atque adeò ut possit circa hoc uti etiam opinione probabilis, quæ eo ipso versatur tantum circa integritatem materialem, & non formalem confessionis, quàm dumtaxat præscripsit Christus; & similiter in Sacramento Matrimonij determinavit solum, ut supra diximus, traditionem mutuam per verum contractum, & reliquit Ecclesiæ determinare condiciones ad validum contractum Matrimonij; quare datur adhuc locus ad opiniones probabiles circa prædictas condiciones, aut alia requisita ad validitatem contractus. Item de Sacramento Ordinis.



nis asserunt communiter plures, quos sequitur Cardinalis Lugo, Tomo de Sacramentis, disput. 2. sect. 5. num. 86. Christum Dominum non determinasse in particulari materiam, sed solum in communi, nimirum, aliquod signum sensibile significativum potestatis illius, quæ per quodlibet Sacramentum Ordinis conferenda est: Unde in Ecclesia primitiva, & nunc in Græca, diversam materiam constat applicare, quàm in Latina, sciente, atque vidente Summo Pontifice; non tamen ad quemcumque in particulari, sed ad Ecclesiam pertinet determinare, sicut de facto fecit.

107 Ulterius, quia Propositio etiam damnata loquebatur solum de opinione probabili, sive usu illius, in conferendis Sacramentis; non videtur necesse comprehendere opiniones probabiles circa res etiam primi generis, quæ non ab ipso conferente, sive Ministro Sacramenti sunt ponendæ, sed à suscipiente, qui potest cedere, (etsi illicitè, & imprudenter) suo profectui, vel, securitati, quantum ad fructum Sacramenti; & aliàs non ita strictè, sicut Minister, obligatur ad valorem illius procurandum, quasi ex officio, sive munere. Unde poterit Minister (sine contraventione ad istam damnationem) conferre Sacramentum secundum opinionem probabilem poenitentis, circa ea, quæ ab ipso ponenda sunt, & ad ipsum spectant, quamvis pertineant ad materiam proximam, v. g. in Sacramento Poenitentia, actus ipsius poenitentis, &c.

108 Præterea, in favorem etiam ipsius Ministri, docet novissimè Pater Torrecilla, Capuccinus, in Consultationibus Moralibus, tractat. 1. de Matrimonio, num. 71. & 72. quod nec debet iudicari comprehensa in hac condemnatione opinio asserens, posse Ministrum uti opinione solum probabili in conferendo etiam Sacramento, atque de eius valore, quando illi imminet periculum

mor

mortis, aut alterius gravis damni, si ita non faciat; dummodò comminatio talis periculi non sit ab alio ei facta in contemptum ipsius Sacramenti (quàm opinionem docuerunt aliqui, quos ibi refert, & Diana 2. part. tractat. 13. resol. 2.) quia nimirum non est etiam credendum de Ecclesia, & Summa eius pietate, quòd cum tanto periculo, vel damno velit Ministrum obligare ad non sequendam in tali casu etiam opinionem verè aliàs probabilem; & idèd sicut propter bonum solum ipsis poenitentis, seu suscipientis Sacramentum, gravis necessitas, aut causa excusat, ita dicendum idem, in bonum, seu favorem Ministri conferentis.

109 Nec obstat, quòd idem Sanctissimus Dominus Innocentius XI. in Propositione 29. ex damnatis, rejiciat opinionem asserentem, ob metum gravem, & urgentem posse Sacramentorum administrationem simulari. Quia simulatio est fictio, atque mendacium; quòd est malum intrinsecè, & idèd ob nullam causam committendum; & aliàs videtur esse quasi irrisio eiusdem Sacramenti. At cum aliquis utitur opinione verè probabili, non fingit, nec mentitur, quia habet intentionem verè efficiendi Sacramentum, cum iudicet probabile ita reverà fieri, & ignoret, an falsò existimet, quare nec irreverentiam aliquam, aut irrisionem Sacramento facit; aliàs enim, nec in casu necessitatis ipsius suscipientis posset Minister sic illud conferre, contra communem opinionem; cum tamen adhuc eo casu nequeat simulatè conferre; diversa est ergo ratio unius, quàm alterius.

110 Sed contra huc usque datam explicationem, sive intelligentiam Propositionis supra positæ, atque damnatæ ab Innocentio XI. sic argues: Primò, quia si solum intelligeretur de opinione probabili circa materias, & formas Sacramentorum, & alia à Christo Do-

E 4

mis



mino instituta, & non etiam circa ea, quæ ab Ecclesia dependent, nihil omnino induceret de novo, aut prohiberet ista condemnatio, quod antea iam non esset prohibitum ex vi præcepti, sive consuetudinis generalis ipsius Ecclesiæ, præscribentis modum, & ritus administrandi Sacramenta, scilicet applicando certas materias, & formas, relictis alijs tantum probabilibus; est autem certum, hæc præcepta obligare in re tanti momenti.

111 Deinde, quia cum sit tantum probabile, & non certum, quod opinio probabilis (imò & error communis in foro conscientiæ) tribuat iurisdictionem, & interpretatione, sive ratihabitione, ut docent aliqui, quos refert Diana part. 9. tractat. 7. resolut. 59. videtur idem in conveniens sequi, si in conferendis Sacramentis utamur opinione probabili circa ea, quæ ab Ecclesia dependent (si ad valorem illorum sint etiam necessaria) quam si circa alia à Christo Domino instituta; & consequenter, nec sufficienter per prædictam condemnationem præcaveri à Pontifice: Et confirmatur, quia qui sic conficit Sacramenta iuxta opinionem tantum probabilem circa ea etiam, quæ ab Ecclesia dependent, non habet certitudinem, sed tantum probabilitatem de valore illorum. Ergo idem est periculum, atque inconveniens, aut saltem non omnino evitatur, quamvis ex eo, quod sit valde probabile, quod valide efficiantur, minus periculum videatur esse in vno casu, quam in alio.

112 Respondeo ad primum, non solum intendere Pontificem per hanc condemnationem præcipere, quod Sacramenta conferantur sub certis formis, & materijs, relictis dubijs, sive probabilibus (nam hoc præceptum erat, nec opinio damnata assererat oppositum licere) stante hac lege imò expressè addebat, *Nisi lex vetet, aut*

ventio, &c.) sed ulterius intendit declarare, esse scandalosam, & in praxi perniciosam Propositionem asserentem absolute id licere, etiam si lex non esset, aut conventio, aut periculum, ob solam scilicet irreverentiam ipsius Sacramenti; atque adeò ex hac sola ratione præcipit etiam, sive iterum imponit præceptum servandi consuetudinem Ecclesiæ, & addendo, *In virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub in terminatione Divini Iudicij ne illa* (sicuti, & aliæ etiam damnatæ) *ad praxim deducantur; & vlt erius, sub excommunicatione lata sententiæ reservata Pontifici, ne publicè, aut privatim defendatur, tractetur, vel, predicetur, nisi forsitan impugnando, ut ex verbis Decreti constat. Multa ergo inducit, atque statuit de novo, quæ antea non erant statuta.*

113 Ad secundum respondet optimè Lumbier tom. 3. citato à num. 1690. sententiam communem de ratihabitione Ecclesiæ, aut concessione iurisdictionis, sive aliorum, quæ dependent ab ipsa, in casu erroris communis, vel opinionis verè probabilis, atque ita existimata ab omnibus, videri tacite approbatam etiam ab Ecclesia, quæ eam non reprobat, cum posset, adhuc in hoc Decreto, nec postea, sciens, & videns illam esse communiter receptam, & ad praxim deductam: Sicut si Episcopus videret aliquem coram ipso confessiones audire, & tacet, nec dissentit, cum posset, approbare illum dicitur, iuxta omnium mentem. Sic ergo in nostro casu existimandum est de Ecclesia, sive Summo Pontifice, ne dicamus in re tam gravi, & de qua ita certo per tractavit, minus perfecte providisse damno, aut periculo, quod vitare intendebat, & videt adhuc imminere post prædictum Decretum. Unde (concludit iam citatus Lumbier num. 1694. & ex illo etiam Pater Torrecilla num. 17.) quod licet opinio solum probabilis absolute, & secundum se non sufficiat, ut reddat certum



Sacramentum, quantum est ex vi sua, benè tamen ut tacitè approbata per tolerantiam ab Ecclesia, ex vi rati-
habitionis, quàm non minùs præsumere debemus in re
tanti momenti, & generali, quam in casu relato, aut
erroris communis. Ex quo patet solutio etiam ad con-
firmationem.

114 Sed ulterius addendum id, quòd sapiùs dixi-
mus, nimirùm, quòd cum Propositio damnata esset
universalis, sufficientè reiecta manet, quamvis solum
intelligatur damnari in sensu aliquo absurdi ori, qualis
est circa ea, quæ ad valorem Sacramentorum spectant
ex Christi institutione, & in quibus est certum, Eccle-
siam nihil posse; quo ad alia verò, quæ dependent ab
ipsa, & de quibus est etiam probabile, imò & probabi-
lius, quòd supplet, seu concedit, eo ipso quòd detur
probabilis opinio de illorum existentia, non est necesse,
quòd intelligatur, cum sit ratio diversa, & aliàs debeat
damnatio strictè interpretari, ut potè odiosa; & prop-
terea nec valet etiam paritas ex vno ad aliud, sicut nec
in legibus possit vis penalibus.

115 Deniquè adverto, quemdam Recentiore in
manu-scriptis asservisse, quòd ex vi huius Decreti non
manet prohibitus sub peccato mortali, sed dumtaxat
veniali, usus opinionis probabilis in conferendis Sacra-
mentis, etiam quo ad res prioris generis; quia solum
damnat asserere *non esse illicitum; quòd est indifferens ad
mortale, aut veniale*. Cæterùm cum materia sit gravis, &
ut constat ex Decreto, §. penultimo, *Districte in virtute
Sanctæ Obedientiæ, & sub in terminatione Divini iudicij*, pro-
hibeat eam, sicut & alias, ad praxim deducere; videtur
obligare etiam sub mortali, & consequentè ità etiam
prohibere usum opinionis probabilis in conferendis Sa-
cramentis, quantum ad ea, de quibus non est dubium
contineri in prædicta condemnatione. Undè nec valet

paritas ex eo, quòd notavit Lumbier num. 1670. de
alijs Propositionibus ex damnatis, videlicèt, octava, &
nona, quæ loquuntur de materia levi, & idè non viden-
tur prohibita sub peccato mortali; dummodò non de-
ducantur ad praxim existimando non esse adhuc pecca-
tum veniale, sive vllomodò illicitum. Nam, ut dicebam,
collatio Sacramentorum iuxta opinionem solum proba-
bilem relicta tutiori, circa ea, quæ sunt de essentia, & non
dependent ab Ecclesia, est materia gravissima, & præcep-
tum, ut vidimus, strictum, atque rigorosum.

SECTIO VII.

Reliquæ propositiones damnatæ.

116 **T**ertia Propositio erat: *Probabiliter existimo
iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam mi-
nus probabilem.* Quæ Propositio, cum de praxi loquatur,
sufficit intelligere Decretum Pontificium de probabilita-
te etiam tantum practica, idest, damnare solum, esse
in praxi probabile, iudicem posse iudicare iuxta opinio-
nem etiam minus probabilem. Ex quo etiam sequitur,
opinionem minus probabilem, quamvis sint verè tales spe-
culativè, in tribunalibus iam esse improbables practicè;
quia prout sic sunt interdictæ. Admodum quo possumus
quidem (imò & oppositum prohibitum est) affirmare
hanc Propositionem, *Deipara est cum peccato concepta*,
esse probabilem speculativè, non autem practicè; quo-
niam possumus illi assensu speculativo interno adhære-
re, at practicè, idest, extrinsecè in loquendo, scriben-
do, argumentando, &c. Illam affirmare non possumus;
& cur? quia id Apostolica Sedes inhibuit. Sed quare
etiam iudicibus inhibeat usum opinionis, minus proba-
bilis in iudicando? non est nostri instituti; videatur Pater



Vazquez, in præfenti, disput. 64. cap. 2. num. 5. in fine, ubi optimam rationem assignat, & ex eo etiam alij.

117 Cæterum; quia Propositio etiam ista est universalis, & condemnatio strictè interpretanda, non videtur extendi, aut comprehendere eos, qui verè iudices non sunt, imò nec ipsos etiam iudices in actionibus alijs, sive antecedentibus, sive subsequentibus, aut comitantibus sententiam definitivam, in qua exercent iudicium, seu propriè iudicant. Undè non includuntur etiam Advocati, aut Procuratores, aut alij concurrentes ad lites, nec ipsi iudices in examinando testes, aut reum, vel hunc in carcerem conijciendo, torquendo, &c. quia solum prohibet Decretum hoc, quòd possint iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem. Imò, nec etiam comprehendit iudices quantum ad sententiam ipsam definitivam, quando sunt opiniones æquè probabiles; quia solum prohibet sequi minùs probabilem, non verò æquè probabilem; quare poterit tunc sequi quàm maluerit, aut saltem hoc non comprehenditur in prædicta condemnatione.

118 Præterea nec necessario videntur comprehendendi iudices inferiores, qui ideò sequerentur in iudicando opinionem etiam minùs probabilem, quia videntur eam esse communiter receptam in praxi, & propterea etiam credere, notandos forè à iudice superiori, ad quem appellatur, tanquam imprudentes, & eorum sententiam revocaturum esse, si iuxta aliam opinionem, quamvis sibi magis probabilem; sententiam ferret; quòd notavit Vazquez ubi suprà, & approbat ex eo Thomas Sanchez in Summa, lib. 1. cap. 9. num. 47. quia nimirum prædicti iudices inferiores cum tanta sui honoris iactura, & tam modico fructu, munus suum obire minimè tenentur. Eo autem ipso, quòd sit ratio specialis, quæ excusare illos potest, & Propositio damnata sit universalis, su-

sufficientè reiecta manet, & condemnatio absolute, & perfectè vera, licet prædicti iudices in casu illo excipiantur; ut in simile diximus, sectione præcedenti. Quare etiam poterit excipi quicumque iudex in causis criminalibus, in quibus est ratio specialis, ut notavit Lumbier tom. 3. citato num. 1731. quia in his scilicet causis, iuxta regulas iuris, in capite *Cum sunt partium*, de regulis iuris in 6. & lege *favorabiliores*, digestis de regulis iuris, favendum potius Reo est, quàm Actori. Undè si sit opinio verè probabilis pro Reo, etsi minùs, debet iuxta illam iudex, quicumque superior, aut inferior, eum absolvere; aut saltem hoc non prohibetur per hanc condemnationem.

119 Uterius, quia maior, aut minor probabilitas stare potest, vel ex parte facti, quando nimirum utraque pars testimonijs, seu testibus, aut alijs instrumentis magis, vel, minus probabilibus, suum intentum confirmat, vel, suadet; vel, ex parte iuris, scilicet, quia lex, iuxta quàm lis est decidenda, aliter ab aliquibus Doctoribus, & aliter ab alijs intelligitur, & utramque opinionem verè probabilem, sed unam magis reputat iudex: non videtur, stando precisè strictæ significationi verborum, extendi condemnationem ad priorem casum, sed tantum ad secundum, quia probabilitas ex parte facti non est propriè probabilitas opinionum (de qua solum loquitur Decretum) ut advertit, & benè, Pater Tomas Sanchez ubi nuper num. 44. & 45. & ex illo etiam alij; nec propriè se tenet ex parte ipsius iudicis, sed causæ. Quidquid sit an absolute etiam in casu maioris probabilitatis ex parte facti teneatur iudex iuxta illam iudicare, ut asserunt communiter Authores; sed non ex vi Decreti Pontificij, de quo in præfenti loquimur.

120 Similiter nec illud est intelligendum in casu, quo pars habens pro se opinionem minùs probabilem, sit



fit in possessione rei; nam tunc possessio praevalet maiori alterius probabilitati, sicut diximus supra in causis criminalibus, favendum potius esse Reo, quam Actori, ob dispositionem iuris. Unde, eo ipso in praxi redditur probabilior opinio pro Reo, aut possessore, quae alias secundum se, sive speculativè, erat minus probabilis. Decretum autem (ut notavi initio) sicut & ipsa Propositio damnata loquuntur de probabilitate practica, non de speculativa tantum. Atque sic etiam explicat, & in hoc sensu approbat Pater Filguera in sua Lucerna decretalis Propositione 2. §. *Circa sententiam*, id, quod diximus supra ex opinione Patris Vazquez, de Iudice inferiori, qui sequitur in iudicando opinionem etiam minus sibi probabilem, sed magis communiter ab alijs receptam, atque in Tribunalibus practicatam; nam stylus, & praxis communis reddit eam probabiliorè practicè, sicut stylus Curiae facit etiam ius, & pro lege observatur, uti probat Barbosa in Collectaneis ad librum primum Decretalium, titul. 2. capite *Ex litteris* 11. num. 3. Cæterum in hoc casu idem erit dicendum de iudice etiam superiori.

121 Deindè, cum duplex possit esse probabilitas in opinionibus, una intrinseca, & altera extrinseca, iuxta dicta sapientissimè, purat idem Filguera, §. *Sed antequam*, quæd prædictum Decretum Pontificium præcipuè intendit, iudices in iudicando sequi debere potius opinionem intrinsecè probabiliorè, quam extrinsecè tantum; extrinseca enim fundamenta (inquit) quæ à Doctorum auctoritate desumuntur, relinquenda sunt, in aliorum comparatione; unde infert postea, §. sequenti, iudicem in conscientia, ut prædicto Decreto obediat, teneri opinionem intrinsecè, probabilem amplecti, ac iuxta eam sententiam ferre, probabiliorè extrinsecè relicta. Sed unde hoc colligatur ex Decreto, non video, cum ab-

solutè solum exigat, sive præscribat probabiliorè opinionem sequi.

122 Sed nec etiam colligitur ex eo, quòd iudex ferre debeat sententiam iuxta suum proprium dictamen, non aliorum, ut probat Pater Bardi relatus à Diana part. 11. tractat. 2. resolut. 60. aliter enim (inquit) si iudex iuxta alterius sententiam iudicaret, non ipse, sed alius, cuius sententia ducitur, esset iudex; & consequenter nec satisfaceret ipsi suo proprio muneri, imò contra illud ageret, & contra finem principalem etiam intentum à Republica, quæ idèd Tribunalia efformat ex pluribus iudicibus, & non tantum ex uno, ut unusquisque cum sinceritate dicat, quid sentiat, & non ad unum tantum reducatur sententia. Non tamen (inquam) indè etiam colligitur, quòd dicebat Filguera; tum, quia Decretum Pontificium, cum sit poenale, strictè interpretandum est, nec ab omnia extendendum, quæ iure prohibere posset, sed quæ constat expressè prohibere; tum etiam, quia si iudex ita adhæreat alterius opinioni, ut ob illius auctoritatem deponat, & relinquat suam, iudicando nimirum veriorè esse, seu probabiliorè a ienam (licet, ut dixi, motus præcisè ex extrinseca alterius auctoritate, & non ex vi rationum, quibus eam probat, ut etiam falso limitat Lumbier num. 1732.) tunc facit etiam suam alterius opinionem, & sic secundum proprium sensum iudicare dicitur, seu proferre sententiam.

123 Nec hoc negavit Pater Bardi, imò expressè etiam docet, quòd inter dùm, melius faceret iudex adherendo alterius collegæ opinioni, quem existimat in his materijs magis doctum, versatumque, quam sequendo proprium dictamen; iuxta dicta etiam supra à nobis in hac disputatione, sect. 1. in suppositione 4. ubi explicuimus, qualiter docti, & qualiter in docti possint cognoscere, aut discernere maiorem, vel, minorem proba-



babilitatem opinionum; & addidimus etiam, non semper obligandos esse viros doctos librare, & ponderare fundamenta intrinseca opinionum, ad formandum iudicium de earum maiori, vel, minori probabilitate, sed posse etiam aliquando ab extrinseca tantum moveri auctoritate; videantur, atque recolantur ibi dicta erga finem prædictæ quartæ suppositionis.

124 Quibus adiungo, quæ etiam docuit Cardinalis de Lugo tom. 2. de Iustitia, & iure, disput. 37. sect. 10. num. 117. scilicet, non teneri iudicem exquisito studio discernere maiorem probabilitatem opinioinum, sed satis esse, si communem ad hoc diligentiam adhibeat, quæ posita, si adhuc notabilis in æqualitas non appareat, poterit alteram eligere; maximè, si opinio, quæ iudici videtur probabilior, iudicatur minus probabilis apud iudices superiores, vel etiam apud alios suos Collegas, quos, ut Doctiores, æstimat. Undè solum quando est manifesta, sive magna in æqualitas inter probabilitatem utriusque opinionis, putat prædictus Lugo num. 115. in secunda conclusione, teneri iudicem sequi in iudicando opinionem probabiliorē; & in hoc sensu etiam potest explicari, sive intelligi tantum Decretum Pontificium in damnatione huius tertie Propositionis, quæ universalitèr loquebatur, & in quocumque casu. Alias enim, cum sit ita difficile, imò, & moralitèr impossibile, semper certò invenire; quæ opinio probabilior, & quæ minus probabilis (intrinsecè, aut extrinsecè) ut supra etiam notavi, dicta sectione prima, numero penultimo; non debet amplius obligari iudex in ferenda sententia.

125 Qui autem sint dicendi iudices, & ut sic comprehensi in hac Propositione, atque eius damnatione? Respondet sæpius iam citatus Magister Lumbier num. 1128. non solum esse intelligendos eos, qui ita appellantur ex munere, aut officio publico, veluti Consiliarij

Re-

Regij, Magistratus, Prætores, sive Correctores, Iurati, aut Iustitiæ locorum (iuxta diversas voces, & appellationes) verum etiam quicumque habeant potestatem ferendi sententiam Iudicalem, sive in Capitulis, sive Universitatibus, aut Congregationibus, quod etiam docet, atque eisdem verbis Pater Torrecilla ubi supra, conclus. 7. num. 157. qui tamen addit, *si sententiam ferant in foro exteriori*; ut sic excludat Confessarios, atque etiam viros doctos in foro interiori, consultos, ob rationem diversam, quam tradit Pater Thomas Sanchez, in Summa, lib. 1. cap. 9. num. 19. & 22. contra Patrem Valentia, 2. 2. disputat. 5. quæst. 7. punct. 5. versiculo *Respondeo duplicitèr*, & dub. 3. post dictum tertium, ubi oppositum docet, si sit in materia Iustitiæ, quia eo ipso uterque est etiam iudex, ac proinde eadem ratio de illis, ac de iudice in foro exteriori.

126 Cæterum mihi, quantum ad virum doctum consultum, manifesta videtur disparitatis ratio, adhuc in materia iustitiæ, quia ille propriè non est iudex, atque adeò nec sententiam propriè iudicalem profert, sicut nec etiam habet potestatem aliquam iurisdictionis in consulentes: Confessarius verò propriè, & verè eam habet in Pœnitentem, sive Ordinariam, sive delegatam; undè, ut docet Molina tom. 6. de Iustitia, tract. 5. disput. 2. num. 5. in fine, verè, & propriè est Minister, ac Superior, iudexque loco Dei in foro conscientie eius, qui se ipsum illi subdit in Confessione, ut Pœnitentiæ Sacramentum ei administret. Quod autem forum hoc conscientie, sive iudicium sit medicinale, nec inter homines, ut inter partes; sed inter homines, & Deum (quæ erat ratio discriminis adducta à Patre Sanchez dicto numer. 22. & ex illo ab alijs) non videtur sufficere, ut propterea dicamus, non

F

etiam



etiam teneri confessarium in iudicando sequi probabiliorem opinionem, sicut alios iudices; tùm, quia sæpè etiam Confessarius in eo foro iudicat circa materiam pertinentem ad homines tanquam ad partes; v.g. restitutionis, furti, & similibus; tùm etiam, quia Deus proit ibi gerit vices partis contra hominem, non minus, imò maius ius habet, vt Confessarius illi tribuat, quòd suum est, & consequenter, vt iuxta opinionem probabiliorem contra peccatorem sententiam proferat pro ipso Deo.

127 Admodum quo, licèt iudices alij inferiores, sive Ordinarij, sive Delegati, sive etiam Arbitri, in foro externo accipiant potestatem à Principe, aut ab alio iudice superiori, vel, ab ipsis Partibus ligantibus; nihilominus eo ipso, quòd illam iam habeant, & vt iudices proferant sententiam, tenentur eam dare iuxta probabiliorem opinionem ex vi Decreti huius Pontificij, etiam si lis versetur inter ipsos conferentes iurisdictionem, & alios. Quare ergo non idem dicemus inter Deum, & hominem in foro Pœnitentiæ? Quòd enim istud forum sit medicinale, probat solum, quòd pœna peccatori, sive Reo infligatur, non tantùm in vindictam, sed in medicinam, & quòd propterea semper illi paratur, si verè pœniteat, & pœna æterna, licèt iustissimè debita, communiter in temporalem, & aliquando etiam levissimam, si dolor, atque dispositio id rationabiliter exigat: non autem probat, quòd iuxta opinionem minus etiam probabilem possit dari sententia iudicialis, & formaliter talis; quidquid sit circa alia antecedentia, sive subsequentiã, vel concomitantia ad sententiam ipsam diffinitivam, vt supra dicebamus de alijs etiam iudicibus in foro externo.

128 Ex quo etiam datur locus ad plures opiniones, quæ circa hæc circumferuntur, ne scilicèt dicamus, eas etiam damnari per hoc Decretum Pontificium; v.g.
quæ

quæ dantur circa ea, quæ se tenent ex parte pœnitentis, veluti sunt dispositio sufficiens ad Sacramentum suscipiendum, examen conscientie integritas confessionis, obligatio aliquid in posterum faciendi, & huiusmodi alia: imò etiam si se teneant ex parte ipsius Confessarij, non tamen immediatè, & formaliter expectent ad ipsum actum iudicandi, seu ferendi sententiam, vt sunt hæc etiam eadem proit ab eo præcepta, aut approbata, & de quibus iudicium etiam ferrè, an sufficiant, vel, non, antecedenter, sive consequenter ad sententiam definitivam absolvendi, aut ligandi Reum, seu pœnitentem quantum ad peccata, in quo formaliter consistit actus ipse iudicandi. Undè etiam locus datur opinioni communi asserenti, posse, & debere confessarium se conformare pœnitenti sequenti probabilem opinionem circa prædicta, quamvis ipse eam putet minus probabilem, atque etiam falsam, non obstante hoc Decreto Pontificio (quidquid sit, an impingat in aliud iam supra explicatum sectione præcedenti, si nimirum opinio versaretur circa valorem Sacramenti in his, quæ sunt à Christo Domino instituta) non tamen si opinio esset de iurisdictione, aut non iurisdictione ipsius Confessarij, quia hæc videtur pertinere formaliter ad actum ipsum iudicandi, vt aliqui in præsentia advertunt, & limitant doctrinam datam.

129 Alij verò, & communius, non distinguunt inter ea, quæ pertinent ad pœnitentem, sive ad Confessarium, sed absolutè, atque vniuersaliter existimant, posse, & debere Confessarium se conformare cum opinione probabili pœnitentis, quos latè refert Ioannes Santsius in Selectis, disput. 33. num. 54. & sequitur Oviedo in præsentia, tractat. 5. controvers. 3. punct. 6. num. 74. vbi rationem tradit: Quia explicatio (inquit) peccatorum, sive confessio facta coram Confessario, qui
F 2 libe-



liberè, aut ex officio, hominem ad poenitentiae Sacramentum admisit, quatenus est ex se inducit in Confessario obligationem absolutionem praestandae, quoties licitè potest. At quoties Poenitens pro se habet opinionem probabilem, absolutio potest licitè exhiberi à Confessario: ergo. Haec tamen ratio, licet ante Decretum istud Pontificium, sufficiens videretur, non autem postea, cum damnet absolutè asserere, adhuc esse probabile, iudicem (qualis est Confessarius) posse iudicare, seu sententiam ferrè, iuxta opinionem minus probabilem. Ergo saltem in aliquo casu hoc limitari debet, & non ità univèrsalitè, sicut antea, affirmari.

130 Nihilominus potest ex altera ratione, quam tradit Lugo, Tomo de Poenitentia, disputat. 22. sect. 2. §. 2. num. 40. assignari discrimen aliquod inter Confessarium, & alios Iudices, ut ille non comprahendatur in praedicto Decreto Pontificio, sive eius damnatione; quia, nimirum Iudices alij constituuntur ex vi sui muneris ad diligentèr investigandam veritatem circa ius partium; cui debito non satisfaciunt, si relicta securiori via inveniendi veritatem, qualis est probabilior, eligant minus securam; at verò Confessarius non constituitur ad investigandam veritatem circa ius, sed circa factum, an scilicet ipse Poenitens peccaverit, & ad absolvendum, quem invenit rectè dispositum; quare debet illum absolvere, si ità invenerit, quamvis Deus habeat ius contra ipsum ex vi peccati; sufficit autem, ut Poenitens sit benè dispositus, operari iuxta opinionem probabilem.

131 Quàm differentiam approbat quidem Pater Dicastillus tom. 2. de Sacramentis (qui totus est de Poenitentia) tractat. 8. disput. 10. dubitat. 28. num. 557. quantum ad aliqualem scilicet disparitatem inter Confessarium, & alios Iudices; negat tamen primò, quòd
etiam

etiam Confessarius non debeat ex officio investigare veritatem per viam securiorem in eo, quòd incumbit illi, nimirum in examinando diligentèr Poenitentem, qui est accusator, & reus, & testis sui; quos omnes, etsi in vnica persona sint, debet non minus iudex exactè examinare, quàm si essent in diversis. Secundò negat, quòd hoc examen debeat tantum esse circa factum, & non circa ius etiam, nempe circa ea, quae praestaret debet Poenitens; v.g. restituenda bona, quae usurpavit, spectato iure, tum naturali, tum etiam positivo, & similiter alia. Undè ipse Dicastillus num. 558. sequenti, aliter explicat discrimen, quòd fatetur dari inter confessarium, & alios iudices; nempe, quòd alij iudices constituuntur ad dandam sententiam inter duas oppositas partes ei, quae habet potius, seu melius ius, qualis est illa, quae probabiliores affert probationes, seu facti, seu iuris, sive utriusque simul: confessarius verò solum est constitutus iudex ad iudicandum de peccatis, actionibus, & obligationibus. Poenitentis secundum legem Dei, & tutam eius conscientiam. Cum ergo Poenitens non peccet operando secundum opinionem verè probabilem, tenetur illum confessarius absolvere, quamvis ipse probabiliorum iudicet opinionem oppositam.

132 Quae omnia retuli, non ut discutiam ex professo hanc quaestionem, quae alterius loci est, sed ut constet, quàm sit commune apud Authores, assignandum esse discrimen inter Confessarium, & alios iudices, quo ad praedictam obligationem sequendi in suo foro opinionem probabiliorum; unde infertur, quàm sit etiam probabile, non comprahendi in hac condemnatione confessarium respectu Poenitentis. Quòd & magis confirmat argumentum, quòd vrget optimè contra Antonium Coelladei Pater Moya 2. tom. in Appendice ad tractat. 1. quaest. 3. num. 7. Accedat (inquit) Theologus Thomista



Confessus Parocho, aut confessorio Scotistæ, poterit ne iste illum absolvere, quem ex contentione bene novit, contractum; v.g. aliquem non solum sæpè celebrasse, sed in proposito continuandi permanere, opinione Divi Thomæ innixum, quàm ipse confessorius minus probabilem reputat? affirmativè respondent serè omnes Doctores, nec ipse Cœlladei, aut alius absolutionem ei negare auderet. Ergo diversa est ratio in confessorio, & in alijs iudicijs, ut ille possit, imò & debeat, excipi à Propositione damnata.

133 Solum breviter addam huius rationem, ex omnibus adductis quidem potius collectam, sed melius explicatam; quia forum pœnitentiæ est solum institutum ad absolvendum, vel damnandum reum, nempe Pœnitentem, iuxta allegata, & probata per eius tantum confessionem; unde, & dicebam supra ex Dicastillo, ipse est reus, & testis, imò & accusator. At, ut supra etiam vidimus, ex iure ipso favendum potius est Reo, quàm aetori; nec Decretum Pontificium intelligi necesse est de probabilitate ex parte facti, neque cum Reus est in possessione, sicut Pœnitens est respectu suæ libertatis, sive innocentia, dum oppositum non fatetur. Ergo in prædicto foro omnia concurrunt ad favendum illi, quæ in alijs Tribunalibus inspicienda sunt aliter, ob rationes adductas ab alijs iam relatas.

134 Deniquè, nec prædicta condemnatio debet extendi ad alios iudices, qui licet ita soleant appellari, non tamen propriè tales sunt, etsi sententiam etiam proferant inter aliquas partes; v.g. Arbitratores, qui non servato Ordine iuris, sive iudiciali, componunt sæpè lites, & idè iudices etiam appellantur, videlicet Compromissarij, quoniam partes mutua inter se conventionè, ac pacto, sive compromisso, ut effugiant longiorem litem, atque sumptus, sibi eos eligunt, ut controversias

in

inter ipsas dirimant, non servato rigore iuris, sicut in alijs arbitris, ut explicat Molina tractat. 5. iam citato, disput. 30. num. 3. & 4.

135 Qui etiam disput. 8. antecedenti, num. 2. distinxerat in iudicijs ipsis propriè talibus, & qui iurisdictionem habent Ordinariam, duplicem actum, seu modum eam exercendi, nempe, vel dirimendo lites, atque controversias in foro contentioso; & tunc dicuntur exercere iurisdictionem contentiosam; vel, exercendo potestatem, quàm habent etiam aliquando quoad Collationem beneficiorum, concessionem privilegiorum, Ordinum, & similia, quæ ad contentiosum forum non spectant; & nunc dicuntur exercere iurisdictionem voluntariam. Decretum ergo Pontificium in hac condemnatione intelligendum tantum est, quando priori modo exercent iudices suam iurisdictionem, quia tunc iudicant propriè, non verò quando exercent eam posteriori modo; quidquid sit, àn teneantur etiam tunc sequi probabiliorem opinionem.

136 Quarta Propositio ex damnatis aiebat: *Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, &c.* Circa quàm Pater Cardenas tom. 3. suæ crisis, tractat. 1. disput. 56. cap. 12. num. 670. notat, tenuem probabilitatem non esse veram probabilitatem, imò ista esse prædicta sibi invicem repugnantia; est enim de essentia probabilitatis niti fundamento magno, probabilitas autem tenuis, aut quæ ita vocari posset, tenui niteretur fundamento. Habet ergo probabilitas tenuis prædicatum repugnans suo essentiali Constitutivo. Quòd idem serè docet noster Illustrissimus Caramuel tom. 4. Theologiæ fundamentalis, in Dialecti de non certitudine, Epistola quadam ad Iosephum Oliverium quæst. 2. vbi latius id explicat ex Bolsio, & alijs. Ex quo infert Pater Cardenas, nihil nocere hanc condemnationem

FA

scn



sententiæ nostræ, atque communi de usu licito opinionis minus (verè tamen) probabilis, & minus tutæ.

137 Caterum quidquid sit de hoc, & admissio, quòd possit dari vera, etsi tenuis probabilitas (quia nimirum intra terminos gravis, aut magni fundamenti est in infimo gradu, cui nititur prædicta opinio) adhuc Decretum Pontificium damnat prædictam Propositionem, & consequenter quidem ad aliarum condemnationem, de quibus supra; siquidem ista dicebat quod *generatim*, id est, in quocumque casu, & materia prudenter operamur, sequendo opinionem quantumvis tenuis probabilitatis; cum tamen in antecedentibus Propositionibus damnatum iam esset asserere, quòd in conferendis Sacramentis, & in iudicando possit minus probabilis opinio sequi, etiam si verè sit probabilis. Nec propterea nocet etiam nostræ, & communi sententiæ, quæ non ita generatim, sed permitendo limitationes in aliquibus casibus, asserit, licitum usum opinionis minus probabilis. Advertendum est autem, nec per hanc condemnationem prohiberi usum cuiusvis opinionis, etiam si tenuis probabilitatis, sed ita tenuis, ut sit in ultimo, & infimo gradu probabilitatis, quia Propositio damnata non solum aiebat, *quantumvis tenui, sed quantumvis tenui probabilitate.*

138 Quinta, & ultima Propositio erat: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabilis.* Quæ idè iustissimè damnatur, primò, quia, ut ait Apostolus ad Habreos 12. *Fides est sperandarum substantiarum, & sine qua impossibile est placere Deo.* Uadè, in negotio tanti momenti, atque necessitatis non sufficit communis diligentia, aut sollicitudo, sed requiritur maior, atque adeò sequi quòd securius est, sive nobis apparet, non quòd minus probabile: Admodum quoque propterea in conferendis Sacramentis, & in alijs omnino necessarijs, & quæ non tantum in existimatione, sed

in

in re requiruntur, sequi debemus id, quòd tutius est, ut supra sæpius diximus secundò (& sequitur ex primò) quia, cum ad prudentem assensum fidei, debeat præsupponi, non solum probabile iudicium, sed evidens de obiecti credibilitate, seu revelationis Divinæ, ut communiter docent Theologi, 2.2. quæst. 1. articul. 4. ne temerè, aut faciliter, seu levitè credamus; nequit manere locus opinioni, non solum minus, sed aliquo modo probabili, quæ excuset infidelem à non credendo, quando sufficienter proposita est illi evidentiæ prædictæ credibilitatis, quæ certam reddit, & non tantum probabilem obligationem credendi, & consequenter reddit improbabilem opinionem oppositam. Vide Patrem Filguera loco supra citato in 4. Propositione, §. *Hæc ergo*, ubi etiam refert nostrum Reverendissimum Lorca.

SECTIO VIII.

Satisfit alijs argumentis contra præcipuam conclusionem.

139 **L**ongissimum foret omnia solum in particulari referre, quæ Recentiores pauci supra iam relati aggerant, tum ex Sacra Scriptura, tum ex Concilijs, tum etiam ex Patribus, tum à Ratione, sive inconvenientibus, contra nostram, & communem sententiam. Quare, omisissis, quàm plurimis, eligam tantum ea, quæ videntur magis egere solutione, aut explanatione, ut ex indè etiam alia quicumque facile dissolvant. Et quidem primò in generali ad ea, quæ adducuntur, ut probent adversarij, non sufficere nobis videri bonum, aut non malum, quòd operamur, ut à culpa excusemur, cum plura in Sacra pagina criminis dam-

nena



nentur opera, quibus reverà non defuisset aliqua verisimilitudo, sive apparentia bonitatis, quæ refert Contenson, dissertat. 6. iam citata, cap. 1. speculat. 2. §. *Confirmatur*, cum Julio Mercoro, & sequentibus. Quare Apostolus Paulus ad Thesalonicenses 5. *Omnia* (inquit) *probate, quòd bonum est tenete, ab omni specie mali abstinete vos*: quòd utique non faciunt, qui ea operantur, quibus turpis in esse speciem probabilius arbitrantur.

140 Ad hæc (inquam) & alia eis similia facilè respondeo ex sæpijsimè dictis, concedendo non quamlibet verisimilitudinem, sive apparentiam bonitatis, seu non malitiæ, sufficere ad peccatum excusandum, aut licitè operandum, sed quæ post factam sufficientem, & exactam diligentiam, innititur motivo gravi, & cui prudenter posset assentiri, etiam in conspectu motivi alterius partis. Eo enim ipso quælibet est eligibilis, cum nequeat amplius inveniri veritas, & quæ videtur probabilior possit non minus esse falsa. Undè nec etiam criminis damnaret Deus opera illa, quæ ex scriptura referuntur, si ita elicita fuissent iuxta opinionem verè probabilem; cæterum eam tunc in illis casibus habere non poterant, qui præcepta certissima Dei non observaverunt. Verba autem Pauli verificantur etiam in opinione probabili, quæ, ut diximus supponit factam exactam diligentiam ad inveniendam veritatem, & quæ non invenitur nisi dumtaxat probabiliter, sive apparenter pro utraque parte. Undè, & si sit in illis aliqua species falsitatis, atque adeò etiam malitiæ materialis ex parte obiecti (quòd non minus contingit probabiliori opinioni, cum possit etiam falsa esse) non tamen malitiæ formalis, si iuxta quamlibet formetur certum iudicium practicum, quòd est regula proxima: videantur dicta suprà, & sæpius.

141 Sed nec valet etiam, quòd vrgere solent prædicti Recentiores ex illo, Matth. 7. *Intrate* (ait Christus)

per.

per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Quomodo autem (subsumunt adversarij) intrat per angustam portam, qui intuitu utilis, & commodi, laxiorem opinionem æternæ legi adversam, aliquo tantum minoris probabilitatis colore oblitam omitta tutiore, & probabiliore pro lege, consulto eligit? Certè vaga probabilissimi licentia lata porta est, & spatiosa omnibus morum corruptelis longè, lateque patens, &c. (Nam prosequitur longius has, atque similes exclamationes prædictus Contenson.) Non tamen, inquam, valet etiam hæc obiectio; quia, ut docet Divus Augustinus relatus à Cornelio Alapide suprà eundem locum, vers. 13. *Angusta porta, qua intratur in Cælum, est lex Dei, quæ cupiditates nostras arctat, & constringit: Item obedientia, continentia, mortificatio, Crux quotidiana, quàm lex, vel fieri, vel portari iubet: porta vero lata, quæ ducit ad perditionem, est concupiscentia, libertas nimia, gula, libido, &c.* Videatur ibi iam citatus Author, qui alios etiam Patres refert id ipsum explicantes.

142 Quamvis ergo sententia nostra de licito vsu opinionis minùs probabilis, non videatur ita coarctare, aut stringere hominum conscientias, quàm opposita eas ad opiniones probabiliores semper, aut tutiores obligans; non ideò latam reddidit viam, sive spatiosam mandatorum Dei, siquidem non defendit, ea cum certa sunt, non esse observanda, sed cum certò non constant, imò est probabile non obligare. Hoc autem non est contra mentem ipsius Christi in verbis iam relatis; imò conformius alijs, quæ postea contra Phariseos, Matth. 23. protulit, cum sic ait: *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Hoc est (inquit etiam Cornelius Alapide vers. 4.) per rigidas legum interpretatio-

tatio-



tationes, ac insuper plurima alia, quæ præter legem ipsi præcipiebant populo circa observationem earum: tam rigidè enim Sabbati observationem præscribebant; ut nec Christum ægros curare in eo, nec famelicos eius Discipulos spicas vellere, & comedere permittebant. Vide etiam Patrem Terilum, Tomo de Regula morum sæpius suprâ citato, part. 1. tota quæst. 9. in qua respondet huic obiectioni contra Cælladæum, qui etiam illam adducit.

143 Deindè agglomerant etiam adversarij plura testimonia Patrum, qui non excusant, sed accusant potius ea, quæ quis ex ignorantia iuris naturalis facit existimans esse bona, cum tamen mala sint; præsertim verò si ea efficiat, ut sæpè contingit, cum aliqua conscientia vellicatione. Quid autem dicerent, aut quid non dicerent, si cum conscientia etiam probabiliore reclamante efficiat? Tunc enim prætere non possumus ignorantiam invincibilem legis, cum id relinquamus, non quòd ignoramus, sed quòd probabilius censemus esse faciendum, aut id faciamus, non quòd nos latet, sed quòd probabilius iudicamus non licere. Undè Augustinus, Epist. 154. scripsit: *Si quis bonum putaverit esse, quòd malum est, hoc putando utique peccat: ea sunt omnia peccata ignorantia, quando quisque benè fieri putat, quòd malefit.*

144 Clarius tamen, & magis ad propositum, lib. 3. contra Academicos, cap. 16. ubi eorum commune axioma (quòd ipsissima videtur nostra sententia esse) refert: *Cum agit quisque, inquiebant, quòd ei probabile videtur, non peccat, nec errat.* Ex qua Maxima semèl probata, omnia probari, & honestari crimina, infert Augustinus: *Taceo, ait, de homicidijs, parricidijs, sacrilegijs, omnibusque omninò, quæ fieri, aut cogitari possunt flagitijs, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quòd est gravius apud Sapientissimos Iudices defenduntur: quomodo enim non facerent, quòd probabile*

bile visum est? Qui autem non putant ista probabiliter persuaderi posse, legant Orationem Catiline, qua Patrie parricidium, quo uno continentur omnia scelera persuasit. Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quòd nephas omne, si hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam visum sit esse faciendum, non solum sine scelere, sed etiam sine erroris vituperatione committatur. Hæc omnia Divus Augustinus ibi; quibus nostram sententiam manifestè impugnat.

145 Sicuti etiam lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. & 5. ubi proponens quomodo se gerere debeat Donatista, qui fatetur quidem rectè suscipi Baptismum in Ecclesia Catholica, sed dubitat, an rectè apud Donatistas suscipiatur; respondet Sanctus Doctor, eum graviter peccare, vel eo solo, quòd certis incerta præponeret. Accipere itaque Baptismum in parte Donati, si incertum est, esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum. Similia docent alij Patres, quos propterea non referro. Solum Divum Chrysostomum omittere non possum, homil. 44. in Matthæum, ubi habet hæc aurea verba: *Si vestimentum empturus unum giras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincere veritas Christi venundatur, & ubi corrupta, & veritorem eligere, plusquam vestimentum?*

146 Denique omnes Sancti Patres semper in rebus agendis, ubi non erat ipsis explorata veritas, tantum timoris habebant, ne fortè quòd eis rectum videbatur, iniquum apud Deum iudicaretur; ut satis nos edoceant, non sufficere solam apparentiam, sive probabilitatem ad excusandum à peccato; atque ideò etiam tantopere fugiebant curam Animarum, Officiumque Pastoris, & Rectoris, se indignos credentes, atque periculum metu-



tuentes: At iuxta nostram, & communem sententiam, sicut quælibet opinio probabilis tuta est agendorum Regula, ita quilibet de plebe doctus, quilibet Sacerdos, post semel, aut iterum per lectum compendium Bonacinae, sive Dianæ, idoneus habetur regendis animabus Dux. O perversam rerum æstimationem! Exclamat, ut solet, citatus Contenson. Et in §. *Mitto Demum*, adducit verba quædam melliflui Parentis nostri Bernardi, Tractatu de Præcepto, & dispensatione, cap. 14. in quibus ad rectitudinem operis, præter puræ intentionis bonitatem, seu simplicitatem, requirit etiam electionis veritatem; quarum altera deficiente, vitiosam esse operationem docet.

147. Cæterum omnia ista facillè ex dictis explicantur. Non enim requiritur certum iudicium speculativum, sed tantum practicum, ad excusandum à peccato, imò honeste operandum: Undè intulimus sæpè, sufficere iudicium speculativum, quòd sit verè probabile; ex quo tandem conclusimus, non requiri, quòd probabilius sit; aut tutius, nisi in quibusdam casibus. At etiam diximus, atque probabimus, ad veram probabilitatem prærequiri, quòd fiat diligentia exacta, ad inveniendam veritatem, & quòd non inveniatur, nisi dumtaxat apparenter, cum fundamento tamen gravi, quòd sufficiat ad assensum prudentem. Rursus etiam probabimus, atque explicuimus, qualiter in conflictu contrariarum opinionum verè probabilem, licet in æqualiter, detur de cuiusvis determinata veritate ignorantia invincibilis, quæ excusat à peccato, iuxta sententiam omnium, atque Divi Thomæ 1. 2. quæst. 76. articul. 2.

148. Ex his ergo dicendum universaliter ad omnia adducta testimonia Patrum, intelligenda esse in sano sensu, id est, ut suadeant tantum, non quamcumque ignorantiam, nec etiam probabilitatem excusare à pecca-

to; quòd nos etiam fatemur; non tamen negant, quòd excuset à culpa ignorantia invincibilis, & vera probabilitas. Imò nec Adversarij id negant, siquidem (præter unum, aut alium, ab ipsis etiam reprobatos) docent sufficere opinionem probabiliorem, etsi non tutiorem, cum tamen illa possit esse falsa, sicut minus probabilis. Tenentur ergo & ipsi respondere prædictis testimonijs Patrum. Quòd si aliquando in eis inveniatur, ut peccata damnari, quæ fiunt cum ignorantia etiam invincibili, quia nimirum sunt verè contra legem; intelligendi sunt de peccato dumtaxat materiali, seu physico, non formali, aut morali, ut diximus, & docent omnes.

149. Præterea magis in particulari ad singula respondeo testimonia. Et ad primum ex Divo Augustino, Epistol. 154. vel quòd loquitur solum de peccato, aut errore materiali, vel si etiam de formali, in casu tamen, quòd ex defectu diligentiae debitæ sit ignorantia vincibilis, atque culpabilis, & consequenter non sit verè probabile iudicium, quòd præcessit. Ad secundum ex eodem Augustino contra Academicos respondeo, diversam valde fuisse illorum probabilitatem à probabilitate vera, quam requirimus ad excusandum à peccato; namque Academici, tanquam primarium Dogma traddebant, veritatem in rebus in certis esse à nobis prorsus invenibilem; inde contendebant, prudentem debere animum suum ab omni assensu suspensum tenere, nihilque intellectualiter approbare, vel, reprobare, ne incidat in errorem; quòd erat sapienti omnino in decorum, imò, & repugnans, in eorum opinione; quare etiam nullam admittebant obligationem inquirendi veritatem in rebus incertis, quia esset obligatio ad impossibile. His tamen non obstantibus, admittebant quoddam verisimile, quòd vocabant probabile, & sic illud definiit Divus Augustinus lib. 2. contra prædictos Academicos, cap. 11. *Id probabile*



bile (ait) vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare; sine assensione autem dico, ut id, quod agimus, non opinemur verum esse, aut revera probabile agamus tamen.

150 Igitur iuxta Academicos, quævis, licet exigua, veri apparentia sufficiebat ad operandum sine peccato, siquidem adhuc stante perfecto dubio, & sine vlla assensione determinata, id possemus. At oppositum prorsus docet nostra sententia, ut constat ex dictis: ingens ergo est discrimen inter vnam, & alteram probabilitatem, & consequenter non ex eo etiam, quod Divus Augustinus reprobet Academicorum errorem, infertur quid quàm contra nos. Vide Patrem Terillum vbi supra, part. 14. quæst. 25. per totam, præcipuè assertion. 1. & 2. vbi explicat prædictam differentiam datam.

151 Ad tertium ex eodem etiam Augustino contra Donatistas, respondeo, rectè eos rejicere, vel ex eo solo (ut inquit) quod certis incerta præponerent; quod nos nec docemus, nec facimus, tum quia quando datur certitudo de aliquo extremo, nequit dari de alio, vera probabilitas, tum quia in conferendis Sacramentis, quale est Baptismus, & tam necessarius, non admittimus eam etiam sufficere, relicta tutiori, & certa, ut vidimus sect. 6. præcedenti. Ad quartum ex Divo Chrysostomo, respondeo etiam similiter, ac in vniuersali ad omnia; nempe, solum ibi intendisse, quod non sufficiat quævis diligentia, sed exacta ad veritatem inveniendam, ut si non inveniatur, possit postea probabile iudicium efformari, quod excuset; quod nos etiam fatemur, & ratio etiam Chrysostomi convincit; cæterum eo ipso, quod opinio verè probabilis sit, iam supponitur facta diligentia exacta, & quod non inveniatur veritas in re, sed dumtaxat apparens cum gravi fundamento; quod etiam in opinione probabiliori verificatur tantum, cum non
ideo

ideo sit verior, etsi magis appareat, sed fortassis est falsa.

152 Quanta autem debeat esse hæc diligentia, ut sit exacta, atque sufficiens explicat Pater Moya tom. 1. tractat. 1. quæst. 6. §. 3. num. 22. & latius adhuc Pater Terillus vbi sapius, part. 2. quæst. 67. assertion. 3. & 4. in qua ponderat etiam, quàm sit difficilè, & quodammodo impossibile, certò determinare illam in particulari: atque ex Patre Suarez tom. 5. de Censuris, disput. 4. sect. 8. num. 16. & 17. designat modum, quo potest melius id fieri, consideratis scilicet Personis, & circumstantijs, & negotijs.

153 Atque hinc etiam de sumitur responsio ad aliud, quod ex Patribus supra objiciebatur, nempe in rebus agendis tanto opere timuisse, & propterea etiam Curam animarum, & Officium Pastoris, seu Rectoris, toties effugisse, quia indignos se reddebant: Et enim maior obligatio reddit difficiliorem diligentiam exactam, & debitam in tali munere ad inveniendam veritatem, quæ non datur in subditis, sicut nec eodemmodo tenentur rustici, aut indocti, sicut Docti, & Magistri, & præcipuè Rectores animarum, à quibus Deus exigit rationem cuiuscumque illarum, iuxta illud Sanctissimi Patris nostri Benedicti in sua Regula, cap. 2. in vltima divisione: *Meminisse* (inquit) *debet semper Abbas* (idem est de alio quolibet Prælato, seu Pastore animarum) *quod est, & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur* (Matth. 25.) *sciatque, quàm difficilem, & arduam rem suscepit regere animas, & multorum servire moribus, &c.* Et post pauca: *Sciatque, quia qui suscepit animas regendas, preparat se ad rationem reddendam, &c.*

154 Nec tollitur prorsus, etsi quodammodo diminuatur, hoc tam grande periculum, siue difficultas, ex vi nostræ, & communis sententiæ de vsu licito opinionis
G nis



nis minùs probabilis, & minùs tutæ; tùm, quia adhuc remanet in actuali applicatione illius ad casus occurrentes, & varios, attentis circumstantijs, aut dispositione subiecti, vt contingit in Medicis, quamvis doctissimis, in curatione corporum; tùm, quia Prælati, sive Rectores animarum, tenentur non tantum suæ, sed, & aliarum reddere rationem, & præcavere illis, omnia damna, & pericula, & multorum servare moribus, vt ex Parente Benedicto diximus, alium nimirum blandimentis, alium increpationibus, alium suasionibus, &c. vt non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiantur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat (sunt verba eiusdem) non igitur sufficiet legere semel, aut iterum compendium Bonacinae, vel Dianae, vt quilibet de plebe doctus, seu quilibet Sacerdos idoneus habeatur regendis animabus Dux, quamvis multum hoc iuvet; si tamen benè intelligat, quæ legit; quòd non semper contingit. Ad ultimum, quòd addebatur ex Parente Bernardo, respondendum est idem, quòd diximus ad testimonium Divi Chrysostomi, quia nec aliud probat, nec intendit, nisi quòd fiat diligentia exacta, vt inveniantur veritas, non autem, quòd revera inveniantur; imò nec Adversarij hoc etiam requirunt, cum iuxta illos sufficiat esse probabilis, quòd potest etiam esse falsum.

155 Solent ulterius obijcere Adversarij Angelicum Magistrum, Quolibet. 8. artic. 13. vbi ita ait: *Illud, quòd agitur contra legem, semper est malum, excusatur per hoc, quòd est secundum conscientiam, & similiter, quòd est contra conscientiam est malum, quamvis non sit contra legem; dicendum ergo est, quòd quando sunt duæ opiniones contrariae de eodem, oportet alteram esse veram, & alteram falsam; aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum, utpotè (seu v.g.) habendo duas præbendas, facit contra veram*

opini-

opinionem: & sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam, &c. Igitur iuxta Divum Thomam non excusat opinio, etsi probabilis, si non est vera. Cæterum benè inde subinfert Pater Moya vbi suprâ, num. 23. Ergo nec etiam excusabit opinio probabilior, imò nec moralitèr certa, sed dumtaxat, quæ est vera; vnde tenebimur ad securiorem, seu tutiorem semper; quòd negant etiam Adversarij.

156 Vel alitèr, & fortiùs, subinfert noster Caramuel tom. 4. Theologiae fundamentalis in Prodomo, num. 74. & 75. Ergo Angelicus Doctor sensit, & propugnavit in illo Quolibeto, & articulo, omnes hæreses, quas in Iansenium condemnavit nupèr Innocentius X. Probatur, quia si verba adducta Divi Thomæ ita intelligentur, vt volunt Adversarij, nempe de peccato formali; ergo in sententia Divi Thomæ ignorantia etiam invincibilis non excusat. Patet, quia quandò lex violatur per ignorantiam invincibilem, illud, quòd agitur, est etiam contra legem: Tùm sic; ergo homines non volentes, imò, & nolentes peccant. Patet, quia nihil volitum, quin præcognitum; at ille, qui ignorat invincibilitèr legem, non vult illam violare: ergo si peccat, peccat non volens; etsi præcessit bona intentio, etiam nollens. Tunc iterum: *Peccat igitur homo in his, quæ necessario faciunt: ergo homini impossibilia præcipiuntur: ergo ad demerendum non requiritur in homine libertas à necessitate, &c.* Hæc omnia ibi Caramuel, & alia plura, quæ legere non penitebit.

157 Exponendus est ergo Angelicus Magister, sive (vt explicuit ibidem Caramuel) de physico peccato, aut materiali; quandò non est contra conscientiam, licèt sit contra legem, iuxta dicta etiam suprâ, sive (& meliùs cum Patre Moya toto §. 4. citato) de peccato

G 2

etiam



etiam formali, quando conscientia, aut ignorantia legis est culpabilis, atque vincibilis, non quando est invincibilis. Unde ipse Divus Thomas in eodem Quolibeto 8. articul. 15. sequenti, docet expressè, quod error conscientie habet vim absolvendi, sive excusandi, quando scilicet (inquit) *procedit ex ignorantia eius, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur* (vt contingit, quando dantur opiniones contrarie verè probabiles) & *solum non excusat, quando scilicet ipse error peccatum est, vt cum procedit ex ignorantia eius, quod scire tenetur, & potest.* Quid clarius? Vide etiam ipsum, prima secundæ, quest. 19. articul. 6. & multis alijs locis in Margine ibi citatis. Ne igitur dicamus, sibi fuisse contrarium, intelligendus potius est in vno, aut alio sensu (vt etiam Divum Augustinum explicuimus supra quoad primum testimonium ex Epistola 154.) & in secundo sensu interpretantur Divum Thomam communiter Thomistæ, inter quos Sanctus Antoninus, Sylvester, alijque, quos referunt citatus Moya, & Cardenas in sua Crysi. 3. parte, disputat. 56. cap. 8. articul. 10. à num. 488.

158. Ultimò obijciunt Adversarij (plura alia omitto, quia ex dictis, aut soluta manent, aut facile dissolvit possunt) quia iuxta nostram sententiam, sicut licetè possumus eligere quancumque, etsi minus probabilem, minusque tutam opinionem, ita erit etiam licitum, eam pro libito mutare, & contrariam eligere. Ex quo sequuntur varia absurda, quæ hinc deduci possunt; aliqua refert noster Caramuel tom. 1. Theologiæ fundamentalis, lib. 1. fundament. 11. à numer. 446. atque etiam Cardinalis Lugo, Tomo de Sacramentis, tractatu de Eucharistia, disputation. 15. section. 2. à numer. 46. Unum solum proponam verb. grat. si quis navigaturus navim ingrediatur cum


solo Diurnali, sequens nimirum opinionem; sufficere ad implendum Officium quovis die; & postea quam è portu solvit, velit contrariam opinionem sequi, tunc quia caret Breviario, non obligatur ad recitandum, quamvis habeat Diurnale; & huiusmodi alia. Deinde, cum vna ex contrarijs opinionibus sit necessario falsa, qui sequitur vtramque, scit certò aliquam sequi falsam, quamvis nesciat determinate, quæ illa sit: ergo vult sequi falsam opinionem, sicut qui scit venenum esse mixtum in vna ex duabus potionibus, non tamen in qua determinate, nullam assumet, si prudentè agat.

159. Sed in primis, hoc vltimum instatur in sententia Adversariorum, qui docent esse licitum eligere opinionem probabilioris, licet minus tutam, nam etiam potest esse falsa. Deinde, respondeo ad objectionem, concedendo sequelam principalem de libera electione, sive mutatione opinionis probabilis in aliam, quæ sit etiam probabilis; non tamen ita vniuersaliter, vt exceptiones non patiantur, sicut diximus supra etiam illas habere præcipuam conclusionem in aliquibus casibus, ob speciales aliquas rationes, quæ opiniones, absolutè probabiles reddunt ad praxim improbabiles. Sic igitur in casu adducto de navigaturo, dicendum est, quod cum præceptum recitandi sit certum, impleri debet, vno, aut altero modo, nec permittit libertatem illam vtendi in praxi duabus opinionibus, si ex illis non ad impleatur: Unde implicite, sive indirectè prohibet etiam earum simultaneam, quamvis successivè, electionem in praxi; & consequenter licetè absolutè, sive seorsim sint probabiles, non tamen comprobabiles, aut conflictæ (vt loquitur Caramuel) sive copulative. Qualitèr etiam respondendum est ad alios casus similes apud ipsum, & Lugo, videndos, vbi supra.

160. Ad secundum, quod addebatur, respondeo



ex Patre Cardenas, dicto tom. 3. disputat. 16. numer. 1152. quod sufficit non certo constare, qualis opinio sit determinate falsa, & quod utraque appareat cum fundamento gravi vera, vt prudenter possimus quamlibet, imò vtramque successivè eligere, quia eo ipso nullum est periculum peccandi formaliter, sed tantum materialiter, iuxta dicta, & probata sapius. At qui sumit portiones cum ignorantia, in qua est venenum (etiam si sit invincibilis) se exponeret manifesto periculo mortis, quia venenum in suo effectu non dependet à nostra cognitione, aut iudicio prudente, sicut lex, aut præceptum dependet in sua obligatione.



EXA-



EXAMEN THEOLOGICUM

PROBABILITYSMI.

ARTICULUS I.

De Firmitate Iudicij opinativi.

I T V R Diff. 3. cap. 2. §. 3. num. 39. definiens opinionem probabilem, quatenus distincta est à dubitatione, & suspitione, itemque à iudicio certo inquit Mag. Thyrus: *Opinio est assensus alterius partis, & iudicium determinatum; sed infirmum, & vacilans, habens coniunctam formidinem de opposito: Quamobrem (prosequitur, & infert) opinantis animus, quodammodo fluctuat, & dicitur adhuc dubitare, quia neutri parti assentitur firmiter.* Sed modo reflectamus ad libri titulum, vbi sub compendio suam sententiam, & intentum principale proponit, ipsumque audiemus docentem, quod, vt aliquis licite possit sequi quamlibet opinionem probabilem, omnino necessarium est, vt operanti appareat vel vnicè verisimilis, vel manifestè verisimilior, quàm opposita: *Ac id circo ab ipso iudicetur vera iudicio absoluto, firmo, & non fluctuante.* Hæc inter se quomodo cohærere possint non video: nam iuxta definitionem opinionis, hæc est iudicium infirmum, & vacillans; nunc verò dicit iudicium opinantis debere esse absolutum, & firmum,

G 4

ibi



ibi animus opinantis quodammodo fluctuat: hic iudicium opinantis debet non fluctuare. Hæc eorum author conciliet.

2 Declaratur: opinio quam, quis sectatur retinet essentiam opinionis; sed de essentia opinionis ut ab auctore definitur, est, quod sit iudicium infirmum, & vacillans: ergo prædicta opinio quam quis sectatur erit iudicium infirmum, & vacillans: ergo qui tali utitur opinione nequit illam iudicare veram iudicio firmo, & non fluctuante. Deinde animus opinantis quodammodo fluctuat, & neutri parti adhæret firmiter, ut aiebas: ergo quicumque dirigatur opinione, nequit iudicare illam veram iudicio firmo, & non fluctuante.

3 Præterea, quod animus opinantis adhuc sibi probabilius, possit non esse firmus, & non fluctuans, part. I. ex Mag. Thyrsio eadem differt. cap. 2. §. 1. num. 69. aiente: *Fateor, affectum, & inclinationem voluntatis erga aliquam sententiam multum deservire, ut etiam fundamenta nobis urgentiora appareant.* Tunc sic: qui opinatur adhuc probabilius, non debet esse certus de moderatione propriæ inclinationis, & affectus erga suam sententiam: ergo timere potest, & debet, ne ex affectu nimio, potius quam ex dignitate fundamentorum in illam feratur, & consequenter, quod non sit rectè examinata, proindeque nec sit vera: ergo timere potest illam esse falsam. Rursus cap. 3. §. 1. num. 54. prope finem, inquit: *Ergo ex eo quod aliquod fundamentum sit prudens respectu aliquorum Doctorum, non inferitur esse prudens respectu omnium.* Undè infero: ergo nec ex eo quod operanti appareat, hic, & nunc gravius, & fortius fundamentum pro sententia rigida, sequitur debere esse omnino firmum circa veritatem illius opinionis, nec oppositam ut falsam certò rejicere; cum possit & ipse falli; sciatque propriæ sententiæ fundamentum alijs Doctoribus, non ita vrgens appa

apparere; imò (ut loquamur in auctoris sensu) nec prudens reputari.

4 Confirmatur: quia (ut dixit eodem cap. 3. §. 2. num. 22. & 24.) in hoc differt credibilitas fidei a credibilitate opinionis etiam probabilioris, quod evidentia prioris credibilitatis fidei, est sine formidine, omninò certa: & ideò obligat ad credendum (imò & necessitat quo ad specificationem, ut docet postea num. 33.) At credibilitas opinionis etiam ut probabilioris existimatae semper est cum formidine, nec omninò ita certà, ut temeritas sit illam negare; atque adeò solum est sufficiens ad præstandum illi prudentè assensum opinativum; & consequenter non reddit incredibilem oppositam sententiam (sicut è contra præstat evidentia credibilitatis fidei.) Ergo adhuc potest iudicari credibilis opposita sententia probabilis etiam in comparatione probabilioris: ergo ista non debet esse vnicè probabilis, & iudicium omninò firmum circa veritatem sui obiecti.

5 Et vrgetur ulterius: quia ibidem num. 30. approbat doctrinam Loræ asserentis, *Quod si alicui proponatur fides sine prædicta evidentia credibilitatis ad eam requisita, non tenebitur credere, sed excusabitur ignorantia invincibili.* Ergo non tenebitur assentiri opinioni probabiliori, qui eam ut talem iudicat: siquidem non habet evidentiam illam requisitam ad fidem: & consequenter potest opinionem contrariam sequi, etsi minus probabilem; absque eo tamen, quod probabilioris iudicet falsam, aut minus probabilem absolutè veram, sed utramque solum verisimilem sicut, & probabilem: nec aliud requiritur ad sequendam quamcumque in opere morali.

*** **



ARTICULUS II.

Ad operandum licitè non requiritur iudicium moralitè certum.

6 **V**T firmitatem iudicij opinativi tuearis, forsam inquires, non requiri certitudinem excludentem omnem formidinem de falsitate propriæ opinionis in operante, sed solum, quæ excludat formidinem prudentem, licet admittat aliam, quam vocat M. Thyrsus, Logicam, quia non est omninò certà. Ità sæpius author, & præcipuè Dissert. 10. serè per totam extenditur. Sed contra 1. formido prudens, & propriè talis oritur expositivo fundamento, & gravi, suadenter vt falsitas proprii iudicij timeatur: sed rogo, habet ne prudens fundamentum, vt falsitatem suæ opinionis timere prudentèr debeat, qui de proprii affectus ordinatione, & rectitudine ad opinionem sibi placentem, præcipuè in materia non præferente malitiam, qualis est argumentorum, quibus ducitur forma; & propterea facilius inducente nimiam, sed inculpabilem complacentiam ad opinionem, quam sectatur? Quænam prudentiæ regula permittit, vt potius de moderatione mei affectus, quam de aliorum circa opposita fundamenta sinceritate, & studio præsumam: Ergo dum video alios Doctores faventes opinioni, quam existimo minus probabilem, æque prudentèr possum timere propriæ falsitatem, quam sperare alienæ sententiæ veritatem.

7 Hinc nequit intellectus prudentèr ità fidere sibi in apparentia sola aliquarum rationum, seu motivorum non evidentium, aut ex fide revera infallibilium, vt tam secure, & firmitèr sine dubitatione, aut fluctuatione

88A

actua-

actuali assentiatur obiecto, pro quo movent, & inclinant. Quòd in ipso M. Thyrso instari potest: Tum quia fateatur (vt retulimus num. 3.) affectum de servire, vt urgentiora appareant alicuius sententiæ fundamenta: & sanè de suo affectu quilibet pius Doctor prudentèr timet. Tum quia ipse testatur, se per plures annos assuetum fuisse principijs opinionis contrariæ de licita electione minus probabilis sententiæ, dummodò sit verè probabilis, etiam in conspectu probabilioris sibi visæ: Postea autem ex lectione magis acurata aliquorum Doctorum, & discussione exacta totius controversiæ (inquit in introductione num. 40.) insedit animo, mansitque fixum, oppositum defendere. Præterea dissert. 13. cap. 2. §. 11. refert alios viros doctissimos, qui similiter (ait) mutaverunt sententiam, quam tenebant priùs, & typis etiam evulgaverant tanquam ipsis veriore, quia nimirum magis expenderunt post modum contrariæ fundamenta. Ex quo legitimè infertur, non posse virum doctum, suam etsi probabilioris sententiam moralitèr certam indicare, cum adeò commune sit, vt à suis patronis tanquam minus probabilis de seratur: nam si iudicium opinativum quantumvis probabilius frequentèr fallit, nequit moralem certitudinem fundare.

8 Itaque opinio etiam probabilior dici nequit certa moralitèr, quando opposita ob grave fundamentum etiam certò probabilis existit. Secus autem quandò contraria est leve tantum, aut nullum fundamentum: vt contingit in rebus, quæ licet solum ob auctoritatem, & humanam fidem credantur, tamen ità confirmantur, celebri atque communi attestazione, vt omnem prudentem formidem depellant. Sic morali certitudine iudicamus Romam, aliasque notissimas Orbis Civitates, Regnorumque Provincias, in quas nunquam peragravimus existere. Contingit etiam hæc moralis certitudo,

quan-



quandò licèt non ità fortè, ac grave fundamentum inclinèt ad assertiendum alicui obiecto; sufficiens tamen sit ad removendum prudentissimè omnem dubitationem, & anxietatem pro contraria parte; pro qua non repræsentatur nec minus adhuc grave fundamentum, sed leve tantum, aut potiùs nullum; atque adedò non sufficiens secundùm se, vt prudentèr dubitetur de illius veritate. Hoc planè accidit, cum videmus Sacerdotem in Missæ Sacrificio Hostiam elevantem, populique adorationi proponentem; etsi possit nos fallere, quia eam, vel ob defectum Ordinis, aut intentionis non consecravit. Quòd tamen non est fundamentum grave respectu hominis prudentis alicuius, vt probabiliter iudicetur hostia non consecrata; sed vnicè adest illius eventus possibilitas, quæ, vt dici solet, est res ampla, solumque fundat aliquam formidinem physicam, seu remotam; & quæ propterea non movet actu, nec anxietatem in generat, imò neque prudentem aliquam dubitationem excitare valet. Videatur inter alios Cardinalis de Lugo, Tomo de Fide, d. 1. sect. 13. §. 4. num. 317.

9 At in nostra controversia, disputare debemus pro casu, quo dentur simul duæ opiniones oppositæ, & probabiles revera, atque adedò verisimiles ex gravi fundamento intrinseco, aut extrinseco; vndè sufficit admovendum virum prudentem ad assensum: ad quòd etiam requiritur, vtriusque motivum oppositum actu cognosci, & simul comparari, & vtrumque apparere secundùm se grave. Aliàs non probabilior vna, quàm altera, sed absolutè sola illa probabilis, imò & certa moraliter deberet iudicari, sicut in casu Hostiæ, quàm Sacerdos adorandam proponit; quia nimirùm pro contraria parte, vel nullum est, vel leve omninò fundamentum ex sola possibilitate physica, quæ revera non sufficit ad dubitandum prudentèr contra prædictum Sacerdotem, qui est

est in bona fama; nisi aliud quidpiam speciale motivum contra ipsum de novo occurreret, & sufficeret ad constituendum grave fundamentum: nam tunc non remaneret adhuc moralis certitudo; sed probabile tantum foret (magis, aut minus iuxta gravitatem fundamenti pro vtraque parte occurrentis) hostiam prædictam esse consecratam; & propterea non posset adorari absolute, sed cum formidine actuali, & sub aliqua conditione: de quo in citato loco idem Cardinalis de Lugo, & communiter alij sup. D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 3. ad 1. & ad 4. Nos, quæ infra ex verbis ipsius M. Thyrsi iterùm sermonem habituri sumus.

10 In hoc sensu, & non in alio intelligendus est. Emin. alter Card. Bellarminus loco ab Authore citato, dissert. 10. num. 14. cum in secundò (aut tertio potiùs) gradu moralis certitudinis collocat ea: *Quæ tot signis, & coniecturis struntur, vt securum hominem reddant, & anxietatem excludant, etsi non omnem formidinem. Additque, huiusmodi certitudinem, opinionis potiùs esse, quàm fidei.* Nam dicendum est loqui de certitudine morali, quàm nuper explicuimus, quando adoratur hostia absolute, & simpliciter; quia non est fundamentum grave ad dubitandum fuisse actu verè consecratam: eam autem appellat potiùs opinionis, quàm fidei, non quia sit propriè opinio, sed quia magis ei assimilatur propter formidinem inclutam, quàm adhuc retinet ex physica fallibilitate sui motivi; & hanc non permittit motivum divinæ fidei: imò nec etiam fides humana, cum ab omnibus aliquid vt verùm sine contradictione affirmatur (vt Romam existere) etsi posset absolute esse falsum (quia omnis homo mendax) de facto tamen ferè est impossibile moraliter loquendo, quòd verùm non sit; vndè vt temerarius iudicandus, aut ridendus foret, qui in contrarium sentiret, aut disputaret. Videatur ipse Bellarminus tom. 3. con.



controv. lib. 3. de Iustific. cap. 2. §. *Certitudo obscura*. Profecto hoc de opinione adhuc probabiliori asseri nequit (cùm non sit temerarius, qui contra illam disputat) nec esse certam in vllò verò sensu ex tribus, quos ibidem explicuit.

ARTICULUS III.

Præcedentis doctrinæ completio, vbi testimonium Ang. Doct. exponitur.

II **V**T certitudinem moralem probabiliori opinioni alligatam tuearis, dices ex M. Tyrlo differt. 10. citata cap. 2. §. 3. non repugnare cum essentia opinionis, seu assensus opinativi eam moralem certitudinem, sed solum eidem opponi omnimodam, seu physicam firmitatem, quæ in actu divinæ fidei reperitur; aut evidentiam, quæ actui scientifico inest. Etenim certitudo moralis (inquit num. 87.) est certitudo solum secundum quid fundata in magna verisimilitudine, in qua non appareat infallibilis connexio cum veritate; sufficit tamen ad prudenter agendum, atque omninò secure. Pro quo adducit etiam Ang. Mag. 2. 2. quæst. 70. à 2. vbi docet, certitudinem moralem ad esse, si duo testes omni exceptione maiores reddendo rationem, & causam suæ scientiæ aliquid attestantur: *In actibus enim (inquit) humanis, super quibus constituuntur iudicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quòd sunt circa contingentia, & variabilia: & idèd sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus à veritate deficiat.* Undè infert P. Thyrsus num. 89. quòd etiam quotiescumque ad sunt rationes urgentes, & fundamenta gravia suadentia aliquam actio-

actionem esse honestam, & pro parte contraria nulla adducitur alicuius momenti ratio, vel etsi adducatur aliqua, ea tamen comparata cum alijs, est longè inferioris verisimilitudinis; habet opinio favens honestati actionis moralem quamdam certitudinem de sua veritate, & operis honestate, etsi tantum probabilis persistat.

12 Quòd ulterius confirmat num. 90. quia formido, quæ comitatur opinionem, est timor resultans in voluntate; eo quòd motivum opinandi non est omninò infallibile, sed potius falsitati expositum. At hic timor eo erit maior quo prædictum motivum fuerit minus verisimile; & è converso minor, si validius, & fortius apparuerit. Ergo opinio quæ nititur manifestè urgentioribus fundamentis, & in conspectu alterius levioris valde motivi, prudentissimè potest iudicari vera, absque formidine, aut timore gravi, atque adeò etiam ut moraliter certa.

13 Cæterum hæc, & alia istis similia ad summum probant maiorem aliquam confidentiam, seu minorem formidinem de ipsius opinionis veritate, dum manifestè nobis apparet probabilior, seu verisimilior; non tamen certitudinem moralem adhuc imperfectam qualis est duorum testium, de qua intrà: quia ad hanc certitudinem (ut ait D. Thom. relatus à M. Thyrso) ut minimum requiritur, quòd in puribus attingat veritatem, & in paucioribus à veritate deficiat. At hoc non contingit in opinionibus purè probabilibus, quæ etiam nobis verisimiliores apparent, ut docet experientia: aut saltem hoc nobis non constat; cùm neque simus oculati testes (aut devisu iuxta communem phrasim) ipsius veritatis, quæ adhuc nos latet, prout à parte rei existit: neque motiva appareant omnibus æqualia, aut æquè urgentia; imò è converso alijs doctis, & pijs viris videntur esse minus fortia, quæ à nobis urgentiora reputantur. Ergo timere ad-



adhuc debemus, ne forsam sit potius in nostro iudicio falsitas, quam in alieno: atque ideo hæc formido, seu timor actualis quacumque opinionem debet comitari, si tantum mihi apparet probabilior. Quod opportunè comprobatur Aristoteles docens, quod sæpè falsa nobis apparent, ut probabiliora.

14 Negandum igitur est, quod assumit obiectio principalis, num. 11. Quia iuxta omnes, probabilis opinio, ut talis, differt à certa cognitione qualibet, adhuc solum materialitè; atque ideo definita fuit à Melissio P. Bernardo (de quo infra:) *Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia querit potius quam apprehendit: sive* (quod idem est) *non potest certò iudicare verum, cui solum assentitur, quia verisimile, & consequenter cum formidine, quod possit esse falsum.* Imò ipse P. Thyrsus d. 1. cap. 1. §. 6. num. 37. fatetur, verè dici probabile, quod ita est verisimile: *Et quia simul potest esse utraque opinio, extremè etiam opposita respectu eiusdem intellectus ita verisimilis; ideo esse potest utraque probabilis respectu etiam eiusdem:* Et si postea addat, solam esse *approbabilem*, quæ apparet illi probabilior (de quo pro nunc non agimus) videantur etiam quæ idem Author refert, & approbat, dissert. 3. cap. 2. §. 3. num. 39. ex P. Lessio lib. 2. de Iust. & Iur. cap. 29. dub. 2. ubi opinionem dicit esse assensum, seu *iudicium infirmum, & vacillans:* Ergo opinio prout talis, etsi probabilior, nequit esse iudicium certum, sicut neque firmum; sed temper cum formidine, aut aliqua dubitatione, quamvis non suspensiva, veluti in dubio proprio, aut suspitione: ut ibi explicat prædictus Lessius, & approbat M. Thyrsus.

15 Nec ex eo quod certitudo purè moralis sit minor, quam physica reperta in divina fide, aut vera scientia, & evidenti, & propterea dici possit, *secundum quid talis* comparativè ad illas: inferitur convenire posse opi-

nio

nioni tantum probabili, quantumvis verisimiliori. Nam dantur alij gradus cognitionum, quibus conveniat, nec æqualitè adhuc omnibus, ut ex diversitate quam explicuit Card. Bellarminus relatus supra num. 10. manifestè constat. Nisi velit Mag. Thyrsus, suas opiniones, aut quæ videntur sibi verisimiliores tam certas semper esse moralitè, sicut dari Romam, aut Constantinopolim; aut saltem sicut quando credimus verè consecratam esse Hostiam, quam Sacerdos publicè ostendit adorandam; & contra quem non adest fundamentum aliquod grave, & sufficiens ad prudenter de consecratione dubitandum: quod esset nimium velle, ac etiam contra reliquorum Authorum mentem in ista controversia suam sententiam defendentium. De quo plura infra.

16 Quod autem sit sufficiens opinio quævis probabilior ad prudenter agendum iuxta illam in praxi, atque omninò securè etiam contra legem; non probat, eam esse certam in sensu, in quo nunc loquimur, nimirum speculativè: sed tantum posse supra illam fundari aliud iudicium practicum securum, & tutum, imò omninò certum, de honesta operatione iuxta illam opinionem: de quo est præcipua controversia præsens, videlicet an liceat hoc iudicium practicum, atque securum fundare etiam supra verè probabilem opinionem quamcumque, licet minus probabilem? Quod negat P. Thyrsus, quia sola (inquit) opinio probabilior, & quæ mihi ut talis apparet, potest, & debet iudicari vera, & hoc certò moralitè. Sed inquiri, an debeat iudicari vera moralitè dumtaxat practicè, an etiam speculativè? Primum pertinet ad præcipuam controversiam, non ad id de quo modo disputamus: secundum non rectè probat ex adducta ratione, ut hac tenus vidimus, quia nulla opinio potest esse certà, si solum est probabilis, sicut opposita, quamvis illa mihi appareat probabilior.

H

17. Ad



17 Ad verba D. Thom. ex 2. 2. quæst. 20. à 2. in corp. ubi docuit, sufficere in iudicio, testimonium duorum testium *ad certitudinem* (vt inquit) *probabilem*: respondeo non sumere ibi propriè certitudinem. adhuc moralitè, sed latè pro maiori verisimilitudine dumtaxat comparativè ad solum reum: vnde statim adiungit: *Et idèd eum reus sit vnus, qui negat; sed multi testes asserunt cum Actore; rationabiliter institutum est, quòd dicto testimonio stetur.* Ob rationem nimirum, quàm prius assignaverat initio corporis articuli ex Philosopho 1. Ethic. cap. 3. *Quia certitudo* (inquit) *non est similiter querenda in omni materia: in actibus enim humanis, &c.* Ac si velit tantum non posse aliam meliorem exigi verisimilitudinem in his rebus humanis, ita in certis, & varijs sive contingentibus; & quandò publicæ, & notoriæ non sunt, quia nec potest maior dari: non tamen idèd docet, esse verè certum prædictum testimonium duorum tantum testium: imò in solut. ad 1. postèa asserit: *Quòd quantumcumque multitudo testium determinetur, posset quandoque testimonium eorum esse iniquum: nec tamen idèd, quia non potest in talibus infallibilis certitudo haberi, debet negligi certitudo ista, quæ probabiliter haberi potest.* Quid ad intentum clarius?

18 Sed adhuc magis vrgeo contra P. Thyrsum: nam si Angelicus Doct. sumeret propriè nomen certitudinis, saltem moralis, in prædictis verbis: sequeretur quòd etiam testimonium duorum sapientium, & doctorum iuxta existimationem communem, sufficeret vt certà diceretur eorum opinio; & vt in foro conscientie posset iudicari vera, & iuxta illam operationes dirigerentur, quia etiam sunt testes omni exceptione maiores. Vel si hoc negatur, quia adsunt alij, æqualis existimationis, qui oppositum defendunt; aut quia rationes pro vtraq; parte videntur æquè graves, vel non convincentes: ergo importunè adducitur ad præsentem quæ-

stionem doctrina Div. Thomæ citat. articul. de testibus.

19 Cuius ratio discriminis prompta est: etenim in foro, seu iudicio externo possunt reperiri testes, qui de visu rem deponant; aut si non testificantur de visu, sed de auditu, & fama; idèdque minùs probent; non tamen obsistunt alij oppositum asserentes: si enim daretur contradictio testium, primi, nihil certum probarent. At in præsentia nostra controversia omnes sunt, quasi testes de auditu solum, nec rationes convincunt: etsi graves appareant, existunt etiam pro vtraque parte. Quare ergo magis vna quàm altera certà dici debeat? Imò potius dicenda vtraque probabilis, nulla autem certà.

20 Ad confirmationem ex num. 12. respondeo (omisso, in quo formalitè consistat formido) concedendo, maiorem generari formidinem, quandò opinio videtur nobis minùs probabilis, sive eius fundamenta infirmiora: sicut è contra minor est formido, quandò urgentiora manifestè nobis apparent fundamenta opinionis, quàm idèd sequimur in praxi, quia verisimiliorem iudicamus: non tamen indè infertur, quòd penitus tollatur vnquam ex vi, talis iudicij formido pro parte opposita, nimirum speculativè; sed solum quo ad praxim per iudicium reflexum certum de operatione licita iuxta eam opinionem: hoc autè etiam potest formari ad sequendam contrariam, quàm adhuc iudicamus esse verè, & certò probabilem: & sic tantum potest tolli, aut suspendi anxietas, & dubitatio in vtroque casu.

(?)

*** *** *** *** ***



ARTICULUS IV.

Veritas non debet esse regula in probabilibus ad honeste operandum.

21 **E**X præcedentibus constat, quàm falsum sit aliterum principium, in quo fundatur P. Thyrsus principalitèr, dissert. 14. cap. 2. num. 14. vbi sic loquitur: *Manet igitur fixum, probabilitatem non esse regulam rectè operandi, sed veritatem; id est, non sufficere ad rectè operandum, quòd quis iudicet, opinionem esse probabilem; sed requiri, ut iudicet, esse veram.* Et n. 15. seq. *Noster itaque scopus (ait) in quem collimare, & stella polaris, quàm inspicere debemus, est veritas: nec in quæstionibus decidendis debet attendi, quæ opinio sit rigida, & quæ benigna, sed quæ vera.* Hoc (inquam) constat esse omninò falsum; cum in rebus moralibus, & incertis non possit veritas certò reperiri, sed tantùm probabilitèr; & consequentèr nec poterit aliquis teneri ad eam inveniendam, ante quam operetur; sed sufficet prudentèr imò, & certò posse iudicare esse probabile, quòd asserit opinio illa quàm sequitur, licèt in re fortè sit falsa.

22 Admodum quo loquantur communiter Authores de iudicio quòd debet antecedere ad actum fidei, etiam supernaturalis, nimirum de evidentia credibilitatis mysterij, quòd proponitur: nam non ex eo sequitur, quòd prædictum mysterium iudicetur in re existens, imò nec possibile: sed dumtaxat, quòd evidentèr appareat ut credibile. De quo videatur inter alios Mag. Ioannes à Sancto Thoma in 2. 2. q. 1. d. 2. art. 3. num. 1. vbi ita ait: *Evidentia autem credibilitatis, est evidentia de ipsa habitudine, seu dispositione obiecti, ut reddatur dignum creditum: quidquid sit an res existat, vel non: quia ad credibilitatem*

ut sic non requiritur veritas, sed verisimilitudo, seu existimatio veritatis cum non apparentia repugnantia, & impossibilitatis. Undè inferius, num. 10. negat hanc consequentiam: *Evidentèr indicatur aliquid esse credibile: ergo evidentèr iudicatur esse verum in se, aut saltem non esse impossibile.* Sed deberet (inquit) inferri tantum: *Ergo evidentèr indicatur non apparere impossibile.* Undè (prosequitur) *consequentia ista peccant variando appellationem ab eo, quòd est apparere, seu cognosci, ad id, quòd est esse.*

23 Quòd priùs etiam docuerat Exim. D. P. Franciscus Suarez in 2. 2. d. 4. sect. 2. num. 9. propè finem in solutione ad quandam confirmationem, quam num. 2. propotuerat, ad probandum mysteria nostræ fidei supernaturalis non posse esse evidentèr credibilia, quia eo ipso sequeretur, quòd essent etiam evidentèr possibilia. Et respondet, num. 9. iam citato negando istam illationem: *Quia latius (inquit) patet credibile, quàm possibile: nam aliquid impossibile, potest fieri credibile; & idèd ex negatione evidentèr possibilis non sequitur negatio evidentèr credibilis.* Videatur etiam D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 4. in corp. & ad 2.

24 Tunc sic: ergo similiter, imò multò facilius potest aliqua opinio esse, evidentèr probabilis, aut probabilior; & tamen non indè inferri, quòd vera sit; sed solum quòd evidentèr non appareat esse falsa: quòd paritèr sufficet ad licitè operandum iuxta illam; sicut ex evidentia credibilitatis, sine evidentia possibilitatis obiecti revelati, potest, imò & tenetur quilibet credere fide etiam supernaturali. In hoc ergo consistit æquivocatio huius Authoris, & aliorum, qui existimant, idèd nos teneri sequi probabilioris opinionem, quia ad rectè operandum debet priùs quicumque iudicare, opinionem, quàm sequitur, esse veram, & non tantum probabilem. Cum tamen neque ad credendum rectè, &



prudentissimè requiratur amplius, quam iudicare mysterium esse evidentèr credibile, non autem esse evidentèr verum, imò nec possibile. Cuius ratio à priori est: quia sicut mysteria fidei credi non possunt, nisi maneant obscura ipsi credenti prout sunt in se; ita quando operamur ex opinione adhuc probabiliori, & non ex certitudine, non debet iudicari, obiectum esse verum, sed dumtaxat probabile, seu verisimile: & hoc sufficiet, vt licitè operemur, vt sufficit ad credendum, quòd appareat tantum evidentèr credibile, etiam si obiectum evidentèr in se non proponatur.

25 Quare neque iudicium probabile dumtaxat (quantumvis probabilius nobis videatur) assentire debet obiecto suo tanquam verò absolutè, & in re, sed tanquam apparenti, vt magis verisimili: & consequentèr neque quando assentimur alicui opinioni etiam vt probabiliori, possumus affirmare eam esse absolutè veram ob eandem rationem, sed tantum esse verisimiliorem. Atque ideò communiter Authores iuxta diversitatem opinionum, quas defendunt, & eligunt diverso modò de illis loquuntur: & nisi certæ omninò sint, sed dumtaxat probabiles, absolutè non dicunt esse veras, sed sibi verisimiliores, sive probabiliores apparere, atque vt tales defendi (vt inter alios constat in P. Leandro à Sanctissimo Sacramento in omnibus suis operibus.) Ergo nec noster Author debet asserere, quòd quando opinio est tantum probabiliori, aut ita iudicatur, possit vt vera omninò existimari: vel nulla erit differentia inter probabilem dumtaxat, & certam opinionem.

26 Dices, dari inter ipsas, differentiam quoadmodum eisdem assentiendi, videlicet, vel certò, aut solum probabiliter, sive cum aliqua formidine: non autem differre in eo quòd vtramque non iudicemus veram si vtrique actu assentimur; etsi non veram eadem firmitate

te, sive certitudine. Intellectus enim assentire nequit nisi verò, aut, vt tali proposito; cum sit eius obiectum, extra quòd nequit tendere, aut assentire. Respondeo primò istando in mysteriorum fidei credibilitate, quæ etiam si evidens sit, non tamen ideò sufficit, vt intellectus assentiatur mysterijs ipsis tanquam evidentèr veris in se, imò neque vt possibilibus; atque adeò neque, vt iudicet evidentèr veram esse opinionem, seu prædicationem hoc affirmantem. Ergo similiter, & potiori ratione idem dicendum est, quando solum proponitur tanquam probabilis, aut probabilior eius credibilitas. Secundò respondeo, & absolutè pro vtroque casu, quòd intellectus, tunc non assentitur ipsis obiectis prout sunt à parte rei, cum neque ipsi ita proponantur: sed assentitur solum credibilitati, aut probabilitati opinionis, prædicta obiecta proponentis, sive persuadentis: & hæc est vera, & evidentèr certa, licet obiecta possint esse falsa, aut saltem non ita constet, esse omninò vera. Videatur dicta sup. ex Magistro Ioan. à S. Thom. & P. Suar.

27 Undè etiam benè P. Arriaga in 2. 2. tract. de fide Divina, d. 10. sect. 5. sub sect. 2. num. 34. & 35. Probat, quòd licet ipse Deus, diceret, & revelaret *probabilius esse rem aliquam esse futuram, quam non futuram*; adhuc non sequeretur eam absolutè esse futuram: quia cum probabilitas desumatur reflexe ex motivis; potest sæpè contingere, vt plura nobis appareant motiva ad iudicandum hoc, quam ad affirmandum illud cursum; v. g. Petri, quam eius carentiam: cum tamen re ipsa Petrus non currat: idque verum est sive motiva sint extrinseca ob testimonium aliorum, sive intrinseca ob rationes desumptas ex re ipsa. Probabile enim, sive probabilius non se tenent ex parte rei cognitæ; sed sunt denominationes, quas nos in rem ipsam ex actibus nostris refundimus, & quæ propterea tales sunt tantum



respectu nostri: nam respectu Dei omnia clarè intuentis, cuncta sunt certa, non probabilia. Quando ergo Deus diceret, *hoc est probabilius*, loqueretur haud dubiè respectu nostri, non respectu sui, aut ex parte rei cognita, & consequenter neque affirmaret illud esse absolutè verum.

28 Præcedens doctrina confirmari potest ex verbis August. Epist. 7. quæ refert etiam Author, differt. 3. cap. 3. 6. 1. num. 56. ferè in medio; in quibus docet S. Doct. posse dari rationem, valdè acutam, quæ moveat ad assentiendum alicui parti, seu obiecto contra Divinam Scripturam; eam tamen iudicandam esse fallacem, quamvis fortis videatur, & vera ob suam verisimilitudinem. Ergo similiter potest reverà esse falsa ratio, quæ movet ad iudicandum esse probabiliorē opinionem aliquam in conspectu alterius; cum ad hoc sufficiat esse apparenter valdè acutam, aut verisimilem. Si enim hoc contingere potest contra veritatem, & auctoritatem Divinarum Scripturarum (vt docet August.) quantò magis contra opinionem probabilem dumtaxat, etsi ipsa veram? Immerito ergo reputabimus veram opinionem, quia fortiori nititur argumento; cum adhuc possit esse ratio, quamvis verò similior, falsa. Undè idem S. Doct. Epist. 19. (vt refert noster Author eodem cap. 3. §. 4. num. 61.) ait: *Ego, solis ijs scripturæ libris, qui iam canonici dicuntur, didici hunc honorem deferre, vt nullum eorum Authorum scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non idè verum putem, qui illi ita sentiunt; sed quia mihi, vel per illos Authores Canonicos, vel probabilè ratione, quòd verò ab horreant, persuadere potuerunt.* Ergo iuxta D. Augustinum solum Sacræ Scripturæ (aut Concilij, & Summo Pontifici ex Cathedra loquenti, vt noster Author etiam docet) certò credendum est: alijs autem tùm

Authoribus, tùm rationibus validis, & quantumvis acutis maximèque moventibus, solum probabiliter est assentiendum; & consequenter cum formidine, quòd falli possimus, & contrarium sit verum. Cùm igitur tenearis vt veris assentiri, & sententiam oppositam absolutè, vt falsam reprobare? Sed ad summum illis, vt verisimilioribus assentiam, non vt certis adhuc moraliter.

29 Hic addere placuit, quòd expressè nos docuit Mellissus Doct. P. noster Bernardus lib. 5. de confid. ad Eugen. cap. 3. num. 5. vbi distinguit, & definit hæc tria nempe opinionem, fidem, & intellectum, sive scientiam: *Quorum intellectus (ait) rationi innititur, fides auctoritati: opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem; sed fides clausam, & involutam: intelligentia nudam, & manifestam. Caterum opinio certi nihil habens verum per verisimilia querit potius, quàm apprehendit. Et prosequitur, num. 6. Et hoc sciendum, quia opinio, si habet assertionem, temeraria est.* Tandem concludit: *Opinio est quasi pro verò habere, quòd falsum esse nescias.* Quid pulchrius, quid opportunius? Ergo opinio quæcumque sit, etsi mihi videatur probabilior, seu verisimilior, certi nihil habens verum non apprehendit, sed dumtaxat querit: atque idè neque affirmat obiectum prout à parte rei, sed tantum esse magis, aut minus verisimile, prout nobis apparet. Undè dixerat prius idem S. Doct. *Multi suam opinionem intellectum (seu scientiam) putaverunt, & erraverunt.* Erravit ergo P. Thyrsus, si suam opinionem certam putat, & evidentem, vt sapius putare videtur: & rursus etiam errat in eo, quòd existimat, ad sequendam prudenter opinionem aliquam in praxi, necessarium esse eam vt veram iudicare; cum nulla opinio etiam, quæ apparet nobis probabilior verum apprehendat, iuxta D. Bernardum, *sed tantum querat per verisimilia; & propterea solum possit intellectus eam verisimilem iudicare, quàm esse falsam, evidentèr nesciat.*



ARTICULUS V.

Opinio minus probabilis comparativè ad probabiliorem est positivè probabilis.

30 **G**RADUM facimus ad examinandum novum aliud principium, quod statuere contendit P. Thyrsus, tum alibi, tum præsertim, differt. 3. cap. 3. §. 2. num. 57. ubi tanquam corollarium infert, quod quando duæ opiniones sunt ex diametro oppositæ, non possunt ita simul comparari ad eundem intellectum, ut una sit respectu illius clare, & manifestè probabilior; & tamen altera maneat absolutè, & simpliciter, seu verè probabilis respectu eiusdem. Fundaturque in eo quod, ubi duæ opiniones sunt ex diametro oppositæ, idem est, vnam illarum esse veram, ac alteram falsam. Ergo eo ipso quod intellectus, vnam prudentè approbat ut veram, alteram reprobat ut falsam, & consequenter neque minus adhuc probabilem eam potest iudicare. Etenim comparativum illud *minus probabile* solum arguit positivum, quando extrema, quæ comparantur, possunt esse simul verà; nimirum quando comparantur opiniones inter se non oppositæ; secus autem quando comparantur opiniones contrariæ: Quia veritas vnius est falsitas alterius: non manet autem neque minus probabilis, quæ reprobari debet ut falsa; quia eo ipso, nec probari potest ad praxim, iuxta illud Augustini contra Academicos, lib. de utilit. credendi, cap. 4. *Quis, quod probat, non credit? aut quomodo est illud, quod non probatur, probabile.* Quibus verbis impugnat S. Doct. sententiam Academicorum, qui dicebant, nulli rei assentiendum esse, ne erremus, quod est turpe, *Sed sufficere ad non errandum, nec*

peccandum, agere in praxi, quod videtur cuique probabile: quæ etiam est communis sententia, quam rejicit Mag. Thyrsus.

31 Qui tantum defert opinioni probabiliori Autoritatis, ut in opposita, nec probabilitatem sibi contradicere patiatur: & ut illam certam statuatur, istam esse improbabilem tuetur. Sed fallitur: nam ut opinio aliqua sit verè probabilis, imò & probabilior, non requiritur, intellectum eam iudicare determinatè veram proptè a parte rei; sed sufficit habere fundamentum gravè, aut gravius ad prudentè eam, non reputandam falsam, sed potius verisimilem. Quod autem hoc sufficiat ad licitè iuxta illam operandum, ipse M. Thyrsus docet, cum non velit, aliud requiri, nisi quod opinio videatur operanti esse probabilior; non tutior, neque certà, imò quæ possit esse falsa, & ut talis iudicetur; siquidem etiam tunc assentitur cum formidine: aliàs non esset tantum probabilior. Undè nec poterit intellectus falsam omninò oppositam iudicare, sed id asserere tanquam sibi probabilius apparens; cum formidine tamen, an ipse potius tunc fallatur; & consequenter relinquendo probabile, quod opposita opinio non sit falsa, sed vera. Itaque licet concedamus, quod idem sit in re, vnam opinionem ex duabus directè, sive ex diametro oppositis, esse veram, ac alteram esse falsam; at non est idem, vnam ex illis apparere probabiliorem, ac aliam esse prorsus improbabilem; sed apparere tunc minus probabilem eidem intellectui; & hoc etiam non firmitè, sed cum formidine, quod fortè fallitur intriabuenda ea maiori probabilitate suæ opinioni: siquidem alijs viris doctis, & pijs oppositum videtur ex gravi etiam fundamento, imò & graviiori ipsis apparenti, & propterea minus grave aliud existimant.

32 Quod ulterius confirmari potest ex communi do-



doctrina in *summulis* tradita circa propositiones modales, quæ ut tales possunt esse simul veræ; etiam si propositiones directæ, aut absolutæ, quibus modi applicantur, si proferantur sine illis; simultanea veritate gaudere nequeant; v. g. hæc propositiones *Petrus currit: Petrus non currit*; nequeunt veræ simul esse, quia ex diametro opponuntur: at istæ: *Petrum currere est possibile, Petrum non currere est etiam possibile, sive non est necesse*, sunt simul veræ, quia oppositæ non sunt, sicut priores. Cuius ratio desumitur ex eo quod propositiones ultimæ modales solum affirmant, aut negant modum, nimirum *possibilitatis*; non autem ipsum cursum Petri absolutè, & simpliciter: qua propter hæc propositio modalis erit affirmativa *Petrum non currere est possibile*; & hæc alia negativa *Petrum currere non est possibile*: licet ista dictum propositionis directæ, scilicet *cursum Petri* affirmatum habeat, & illa negatum: quia in propositione modalis præcipua copula non est illa, quæ in dicto includitur, sed quæ annectit dictum, ut subiectum cum modo tanquam cum prædicato.

33. Sic igitur in nostro casu, atque proprio. Questionis principalis sensu, cum dicimus, quod potest intellectus oppositas sententias, si absolutè sumantur, indicare simul probabiles (etiam si vnam illarum iudicet probabiliorem, & ita illi manifestè appareat) idè est, quia non iudicat tunc de ipsis, ut sunt oppositæ, sive prout sunt à parte rei; sed prout apparent probabiliter; atque adèd neque affirmat illas absolutè, & simpliciter, sed modaliter tantum, quo sensu non sic opponuntur ut simul nequeant esse veræ. Itaque licet hæc propositiones absolutæ: *Hoc est illicitum, sive prohibitum: Hoc non est prohibitum, sed licitum*, sint inter se ex diametro oppositæ, & idèd pugnent quo ad simultaneam veritatem: at istæ modales: *Hoc esse illicitum, sive prohibitum est probabile*
hoc

hoc non esse prohibitum, sed licitum, est etiam probabile, et minus probabile, quàm aliud, non sunt oppositæ, nec repugnantes; quia solum affirmant modum, qui potest utriusque convenire, sicut *cursum*, & non *cursum Petri* convenit esse *possibilem*. In hoc ergo consistit æquivocatio P. Thyrsi, quod opinionem quàm existimat probabilioris, et si non certam, putat eo ipso iudicandum veram: & propterea fortasse tam acriter defendit suas pecculares sententias in qualibet materia, quasi certæ, & evidentes sint, contrariæ verò nec probabiles. Sanè, si suam probabiliorismi sententiam magis probabilem indicat, quàm doctrinam oppositam, & communem, hæc probabilis non est intellectui P. Thyrsi: in quo nullam, vel ingenij, vel docilitatis laudem fatebor.

34. Undè falsum est etiam, quod asserit postea, nimirum comparativum illud *minus probabile*, solum arguere positivum, quando extrema, quæ comparantur, possunt esse simul vera absolutè, & in re, sive quando comparantur opiniones inter se non oppositæ. Hoc inquam, est falsum: nam ut iam explicuimus licet opiniones sint inter se oppositæ, absolutè loquendo, sive quo ad dictum, possunt tamen non esse oppositivæ quo ad modum, qui solum, de utraque affirmatur, ut in præsentia controversia, quæ tantum est de opinionibus non ut absolutè veris, sed ut verisimilibus, seu probabilibus; quod pertinet *ad modum*, non ad rem ipsam, quæ affirmatur per vnam, per alteram negatur, & idèd opponuntur: modus autem de utraque affirmatur, quia prout sic non repugnant esse simul veræ, neque ad invicem sibi contradicunt. Quod ulterius confirmo, nam probabilitas etiam maior, aut ita manifestè apparens pro aliqua opinione, potest coniungi cum eiusdem falsitate prout à parte rei: aliàs non solum probabilior, sed certa foret. Ergo non debet eodem modo iudicari de veritate, aut fal-



falsitate propositionum, ac de earum probabilitate; & consequenter neque ex eo quod nequeant esse simul verae, quando sunt ex diametro oppositae, inferitur, non posse esse simul probabiles cum probabilitas etiam si maior appareat, coniungibilis sit cum veritate, aut cum falsitate provt à parte rei. Videatur P. Moya in Sel. tom. 2. ad tract. 1. de opin. prob. quæst. 2. per totam, ubi latè hoc probat, & convincit.

ARTICULUS VI.

Doctrina præcedens auctoritate D. Augustini non infirmatur.

35 **A**SSERTUM I. constat, ex eo quod S. Doct. adductus, num. 30. solum probat credendum aut fidendum esse parti, quam aliquis, ut probabilem sequitur: vnde aiebat, *quis quiddam probat, non credit?* Ibi autem loquebatur contra Academicos, qui in agendo se tantum probabilia sequi tuebantur; eosque aliquid eo ipso credere, quamvis scientiam non haberent supponit, dum ibidem dixit: *Quamquam in illis etiam, qui se in agendo probabilia sequi dicunt; scire potius nihil posse, quam nihil credere, volunt videri:* Cæterum dum homo in operando sequitur opinionem minus probabilem, huic fudit, & credit; dum sentit illam esse verisimilem, & forsam esse veram. Quod ergo probat homo in agendo iuxta sententiam benignam, id ipsum credit; quamvis enim scientiam non habeat de veritate opinionis, credit tamen ex fundamento, & aliorum auctoritate, in illa forsam reperiri: quod etiam est commune opinioni probabiliori. Maximè, quia iuxta D. Augustinum ibidem, *quod opinamur, debemus auctoritati:* Ergo ubi adest auctoritas,

&

& cognoscitur ab operante pro aliqua opinione, hic poterit tali fidere auctoritati ad operandum, sicut ad opinandum. Uterius S. Doct. implicationem reperit in eo quod *probabile sit quoddam non probatur:* Hoc etiam, & nos fatemur; siquidem, licet opinio appareat minus probabilis, nihilominus probatur, sicuti proponitur; vel quia intellectus eiusdem obiecto potest assentiri, ut à pluribus, etiam Adversarijs, defenditur: vel quia intellectus illam aprobat, ut probabilem.

36 Constat 2. quia S. Doct. vult, quod sit probabile, id quod probatur, seu ad agendum approbatur: etenim implicationem agnovit in eo quod aliquis in agendo probabilia sequeretur, & nihilominus non existimaret esse probabilia: idèdque aiebat, quod Academicici, *qui se in agendo probabilia, sequi dicebant; quamvis dicerent, se nihil propterea scire, re tamen ipsa, quod sequebantur, probabile reputabant; nam quis quiddam probat (operibus) non credit?* idest, non opinatur? in sensu enim D. Augustini ibidem *credit omnis qui opinatur.* Intendebat ergo demonstrare Academicos etiam opinari. Sed quid hæc conducunt ad impugnandam sententiam benignam, quæ etiam partem minus probabilem, absolute probabilem esse, & cognosci posse defendit.

37 Constat 3. quia licet Augustinus intenderet eo loco, nimirum lib. de utilit. credendi, cap. 11. propè finem, esse necessarium ad honeste operandum, partem quam aliquis sectatur esse probabilem maiori probabilitate, quam haberet probabile Academicum; indè tamen non inferitur, velle ut semper sequenda sit pars probabilior, sed ea quæ reputetur ab operante tanquam certò, & absolute probabilis. Patet: quia certà probabilitas, & absoluta verisimilitudo valdè differt, & excedit Academicum probabile, quod fundamentis prudentiæ carebat. Audiatur August. lib. 2. contra Academ. cap.



cap. 11. Probabile (refert) vel verisimile Academicum vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest incitare. Sine assensione autem dico: ut V.C. utrum hesternae nocte tam liquida, ac pura, hodie tam laetus sol exoriturus esset, si nos quispiam rogaret, credo, quod nos id scire negaremus; diceremus tamen, ita videri. Talia, inquit, Academicus, mihi videntur omnia, quae probabilia, vel verisimilia putavi nominanda. Dum ergo S. Doct. velit, nobis esse debere probabile, quod in agendo sequimur; non probabilius, sed quod sit certo probabile, & cum fundamentum dictum, rationibusque prudenter stabilitum designat: quodcumque enim certo probabile, Academicum, sive apparenter verisimile excedit. Unde patet Academicos errasse, dum aiebant, agendum esse quod cuique videretur probabile, & nulli rei nos debere assentiri; quia loquebatur de probabili etiam absque gravi fundamento proposito, ut observat Augustinus intranscriptis verbis: & insuper, quia negabant, assensum praestari posse inverisimilibus. Oppositum autem defendit Catholica, & communis sententia, quo ad definitionem opinionis probabilis; & pariter quo ad assensum, quando quidem docet, operantem assentiri debere probabilitati opinionis, quam sequitur. Assensus vero obiecti secundum se, nullatenus à D. Augustino requiritur ad sequendam opinionem circa illud; sed solum ut iudicium verè probabile, & cum fundamento reputetur; alioquin sufficeret levis quaedam verisimilitudinis coniectura, ut reputaretur licita quævis actio contra legem. Constat igitur testimonium adductum à Mag. Thyrso non esse opportunum, nec sententiam nostram everti à D. Aug. ex cuius doctrina potius eam latè confirmat P. Esparça in Append. part. 2. art. 127.

38 Ex dictis inferitur, assensum requisitum ad sequendam aliquam opinionem non debere occludere locum, ne intellectus possit oppositam reputare veram; quan-

quando quidem semper debet esse cum formidine falsitatis quilibet assensus opinativus adhuc probabilior: cum hac autem formidine consequenter stat, intellectum posse illam iudicare fortasse veram, quia etiam pro illa videt gravia auctoritatis, & rationis fundamenta. Quare fallitur M. Thyrsus, cum loco citato ait: *Quod non manet probabilis respectu alicuius illa pars contradictionis, quam ille merito potest reprobare ut falsam.* Etenim, si *ly meritò* idem sit, ac prudenter, quamlibet partem potest, ut talem reprobare, ex vi rationum, seu motivorum pro opposita opinione: siquidem adhuc eam, quam tunc approbat ut veram, ex contrariis motivis existimat prudenter posse esse falsam; atque ideo cum formidine, & vacillans, non firmiter, & certo tunc etiam approbat, ut veram. Unde Illustrissimus Caramuel in Apologem. de Probab. Epist. 2. n. 82. hanc statuit quintam conclusionem, seu resolutionem: *Repugnat, alteram contradictionis partem esse probabilem, & alteram non esse probabilem: sicut repugnat (ut in Resolut. 4. anteced. dixerat) alteram contradictionis partem esse dubiam, & alteram non esse dubiam, sed omnino certam.* Videatur ibi.

39 Minus autem conducunt ad suam etiam comprobendam doctrinam (iam relatam à nobis art. præced.) quæ P. Thyrsus postea, §. 3. n. 58. reponit ex insigni (ut loquitur) D. Aug. testimonio, lib. 3. contra Cresconium, cap. 74. ubi docet, non semper comparativum illud *magis probabile* arguere, quod pars opposita maneat absolute, & positivè (licet minus) probabilis respectu eiusdem operantis: quia aliquando (ait S. Doct.) non proprie sumitur pro comparativo, sed pro positivo potius, ut excludat omnino contrarium: admodum, quo & Apostolus Epist. ad Heb. cap. 6. v. 9. *Confidimus* (inquit) *de vobis, fratres charissimi, meliora, &c.* Non quia bona erant, quæ prius illis obiecerat; imò potius, quia mala. Similiter Danielis 13. (addit P. Thyrsus n. 69.) *Sulanna dixit senibus*



bus impudicis: *Melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Dei*; Id enim quod opponitur huic comparativo *melius* scilicet peccatum, non est neque minus bonum, sed malum absolute; ideoque vnicè eligendum erat Susannæ illud melius, quia illud solum erat ipsi bonum. Rursum etiam ex Apostolo 1. Corinth. 7. cum enim dicit *melius est nubere, quam vri*; non est sensus, quod *vri* sit bonum, & *nubere* sit melius: sed quod ex his duobus inter se comparatis *nubere* solum sit bonum, & *vri* malum. Sic igitur (concludit) dicitur, tutius sequi hominem sententiam stantem pro lege adversus libertatem in conspectu sententiæ minus verisimilis stantis pro libertate adversus legem; non quia hoc secundum sit verè tutum, seu licitum, sed quia primum tunc est vnicè securum, & licitum.

40 Hæc inquam, omnia minus conducunt ad eius comprobendam doctrinam, quam hucusque reiecit, & deinceps confutabimus. Quia Augustinus solum affirmat, posse & debere aliquando non sumi propriè comparativum illud *magis probabile* (sicut nec aliud: *meliora*, aut *melius*) sed pro positivo potius excludente omnino à bonitate contrarium, quâdo videlicet materia hoc exigit ex in capacitate alterius extremi: ut contingit in exemplis ex Divina Scriptura adductis; aut quâdo aliqua pars fallacibus tantum rationibus contra ipsam Scripturam ut probabilis obijcitur. Non verò negat D. Aug. quod aliquando etiam, imò & frequentissimè propriè sumantur comparativa, & sine exclusione omnimoda contrarij extremi ob diversam rationem; nempe quia utrique extremo revera convenire potest quod affirmatur. Videantur ipsa verba S. Doct. Undè ex illis nequit sumi argumentum in præsentia, neque in alia materia; nisi prius aliundè probetur, non posse utrique sententiæ oppositæ convenire prædicatum comparativi, licet in gradu inferiori. Videantur

tur iterum, quæ P. Esparça citat. n. 37. sine ex Div. Aug. refert; in quibus sæpè asserit, posse veramque sententiam oppositam simul esse probabilem. Quare ergo tunc non poterit vna esse altera probabilior, sumpto comparativo isto propriè, & non solum pro positivo? Sanè exempla ex scriptura prolata, probant vnam opinionem etiam respectu aliorum probabilem non esse, neque ab intellectu, qui assentitur oppositæ tanquam probabiliori, excusandos fore, qui illam minus probabilem sectarentur; sicut peccatum nulli potest representari merito, ut bonum, neque defendendi tanquam iusti, qui peccant. Hæc cuilibet se se offerunt.

41 Sed respondebis ex M. Thyrsio in eodem §. 3. n. 6. Quod licet possit pars contradictionis, quæ operanti representatur, ut minus verisimilis; dici aliquomodo probabilis, non tamen absolute, & simpliciter, & sine addito diminvente, videlicet *secundum quid*: quia solum potest dici absolute, simpliciterque probabilis, quæ respectu operantis habet pro se fortiora fundamenta; quia eo ipso potest prudenter etiam iudicari vera, & propterea eligibilis: secus autem, quæ apparet ei minus verisimilis ob infirmiora fundamenta; quia debet eo ipso iudicare, ut verisimilis, esse revera falsam: nemo autem potest eam in hoc statu, & consideratione sectari. Ista tamen responsio (sicut & alia multæ similes, quas propterea omitto) impingit in eundem scopulum, ex quo M. Thyrsus abs dubio delapsus fuit in suam æquivocationem (quàm sæpius iam deteximus; atque deinceps aperiemus) nimirum ad sequendam licitè, ac tutè in praxi opinionem aliquam, requiri omnino eam iudicare veram pro ut a parte rei, illum qui iuxta illam operatur: cum tamen neque ad fidem divinam hoc requiratur in iudicio antecedenti ipsam de obiecto, quod credendum est; sed sufficiat proponi ut evidenter credibile, ut notavimus in articulis superioribus, ex



quibus satis impugnata manet huiusmodi solutio, & quæcumque alia similis eidem, aut verius eadem sæpius repetita.

ARTICULUS VII.

Opinio minus probabilis in conspectu probabilioris manere potest ad praxim simpliciter probabilis: ubi de exigua probabilitate.

42 **Q**UIA ex opposito principio, & ferè unico, M. Thyrsus contendit suam opinionem persuadere, oportet illud amplius evoluere. Et in primis valde miror, quòd d. 3. c. 3. §. 1. n. 52, inferat tanquam manifestum, posse tute operari iuxta opinionem aliquam, eos tantum in quorum intellectu appareat probabilior; secus verò illos, quibus apparet minus verisimilis, aut probabilis. Equidem, si hæc apparentia, sive existimatio tam varia, diversaque est in diversis hominibus absque diverso fundamento ex parte ipsius opinionis (supponimus enim idem omnino esse, quòd his videtur gravius, illis autem levius) ergo opinio ipsa in se, sicut eius fundamentum, eadem manet, & simpliciter probabilis; quia intellectus illam non æstimans tanquam probabilior, non denegat eidem probabilitatem, sed gradum, aut probabilitatis excessum: maximè quia hæc diversitas, quo ad apparentiam maioris, aut minoris probabilitatis oritur ex diversa dispositione intellectuum (imò sæpè & affectuum, aut inclinationum, ut ex eodem Authore notavimus art. 1.) & consequenter poterit quilibet reflexè iudicare, & prudentissimè, quòd opinio prædicta sit verè probabilis, potensque ex proprio fundamento elicere assensum prudentem: cum sciat alijs hominibus valde pijs, atque doctis (ex eodem fundamento maturè perpenso) probabilior, aut probabiliorem apparere, eiusque fundamentum gravius videri, quamvis operanti.

Ita tunc videatur, aut appareat minus grave; atque adeò poterit reflexè iudicare illam probabilem simpliciter, & in se manere; posseque iuxta illam prudenter operari.

43 Quòd explico, & confirmo: eo enim ipso, quòd opinio contraria appareat probabilior aliquibus doctis viris, & pijs; nequit operans eam non iudicare sufficientem ad movendum intellectum prudentissimè ad assensum; alioquin dicere auderet, eos Authores illam defendentes temere eidem assensos fuisse: ergo agnoscit illam in se manere probabilem certò: ergo & esse regulam ad honeste operandum; præsertim quia etiam alijs apparet probabilior, idque constat operanti: ergo poterit in praxi illi conformari; quòd quidem certò cognoscit illam proponi posse, ut probabilior, licet hic, & nunc pro varia intellectus, aut inclinationis dispositione, sibi, ita non proponatur. Sic quamvis propter salutis debilitatem à sole quandoque, aut ab igne non calefiam, scio tamen, & certò cognosco, solem, & ignem esse calefactivum, cum videam alios calefieri: ergo similiter, quamvis respectu mei intellectus, non prævaleat fundamentum contrariæ opinionis, certus sum id non ex illius defectu; quòd quidem movet homines doctos, & prudentes, sed ex varia intellectus propensione. Aliundè ad operandum licet, satis est actiones regulari dictamine in se prudenti, & quòd maturè expensum certò cognoscimus intellectum trahere ad se posse: nam hæc moralis applicatio dictaminis in se probabilis reddit actionem non temerariam, sed prudentem, & moraliter honestam; ad quam solum: equiritur prudens regula, ut talis in se cognita, licet ad effectum physicum non sufficiat applicatio causæ, si resistat subiectum; cuius discriminis ratio est; quia ad iudicandam opinionem contrariam esse prudentem, atque probabilem non ob est iudicium proprium cum maiori probabilitate: ergo neque



que ob est ut illam in praxi prudenter sequi valeam, quia conformari in operando cum regula, quam scio esse prudentem in se, prudenter fieri potest. Effectus autem physicus indiget dispositione subiecti, & impedimenti remotione, quæ solo dictamine, & cognitione virtutis causæ nequit amoveri. Unde occurrimus instantiæ, quam quis posset ab exemplo allato sumere; quod solum probat id ad quod adductum fuit, nec in omnibus debet eundem paritatis tenorem cum opinione probabiliter servare.

44 Ad id verò, quod sæpius repetit Author, nimirum esse fallacem hunc arguendi modum: benigna opinio aliquibus videtur vera, & probabilior cum gravi fundamento: ergo omnibus est licitum iuxta eam operari: *Quia* (inquit) *hoc est arguere à singulari ad universale*: Respondeo id fore verum, si quamvis aliquibus appareat opinio benigna probabilior, operanti non constet de eius probabilitate. Deinde etiam fore verum, si ad operandum licite, esset omnino necessarium sequi opinionem probabilior, ut talem iudicatam respectu sui à quolibet operante: quia in prædicto casu, quem proponit Author, aliquibus tantum, non operanti apparet probabilior. Cæterum, cum sufficiat opinio tantum revera probabilis: atque ita existimetur ab omnibus, quæ viris doctis, & pijs tanquam verior, & probabilior apparet, & ut talis defenditur: rectè inferitur, quod omnes possunt iuxta illam operari; quia eo ipso etiam ab omnibus, ut revera probabilis, ut minimum iudicanda est. Cuius ratio à fortiori: quia absque gravi fundamento illi viri docti, & timorati eam non defenderent, ut veram & probabilior, sicut neque ego oppositam cui adhæreo sine gravi fundamento magis verisimilem reputo. Unde argumentum non est à singulari ad universale; sed ab universali, ad universale: videlicet, *hac opinio* (quæ ab

ab aliquibus viris doctis, & pijs defenditur, ut verà, & probabilior) est apud omnes revera probabilis: ergo iuxta illam omnes licite possunt operari; quamvis ab omnibus non iudicetur probabilior.

45 Neque inde inferas: Ergo possum in praxi sectari, quamcumque opinionem probabilem, dummodò sit probabilis, quamvis tenui probabilitate. Quod est contra damnationem 3. Propositionis ex proscriptis ab Innoc. XI. nam respondeo negando illationem; nam si eadem ratio militaret pro opinione ex gravi, & tenui fundamento probabili, damnata fuisset opinio communis, quam defendimus, quod Author non concederet nisi velit, suam sententiam certam, & definitam esse. Dicendum igitur cum M. Lumbier, & reliquis explicantibus Propositiones illas damnatas, tertiam solum damnari, qui ita generaliter loquitur, ut nullum casum excipiat: cum tamen certum sit in aliquibus maiorem probabilitatem, imò etiam tutiorem opinionem requiri ob diversas materiæ rationes: vel esse intelligendam de ita tenui, atque exigua, & levissima probabilitate, quæ potius sit dicenda nulla, quia ex valde levi fundamento; ut etiam explicant prædicti Authores: non autem quando probabilitas est revera sufficiens ad movendum prudenter aliquos pios, & doctos viros, quia ex gravi fundamento procedit, & ut talis communiter ab omnibus reputatur; licet opposita mihi appareat probabilior: ut contingit in casu nostræ controversiæ. Videatur P. Dacus de la Fuente Hurtado in Theol. Reform. dissert. 4. cap. 1. num. 11. & 12. & cap. 2. à num. 10. per totum, cap. 3. à num. 33.

46 Neque insuper urgeas: etiam opinio tenuis probabilitatis, visa fuit suis Authoribus probabilior, aut saltem, ut in gravi motivo fundata, sicut nobis constat de minus probabili: Respondeo enim, non sufficere,



vt opinio maneat certò probabilis, quòd olim visa fuerit probabilior aliquibus Authoribus; sed requiri, quòd de facto communiter ab alijs, vt certò probabilis recipiatur, quòd non contingit, quandò aliqua opinio tantum improbabilis, aut levi fundamento innixa, frequenter ab Scriptoribus rejicitur; tunc enim iam non erit certò, sed probabiliter tantum probabilis, aut morali certitudine improbabilis, & in his terminis non disputamus in præfenti, vt notum est.

47 Urgebis 2. fundamentum opinionis mihi minus probabilis mihi etiam proponitur, vt tenuè: ergo non remanet, illa mihi sufficienter ad praxim probabilis. Respondeo negando antecedens; tunc quia licet minus inclinè intellectum, quia hic, & nunc vincitur à fortiori; propterea non admittit intrinsecam aptitudinem ad movendum: Ergo ex se non est levè, aut tenuè fundamentum. Tunc quia certissimè cognosco, illud fundamentum ab illis communiter reputari grave: ergo immerito illud in se tanquam leve rejicerem. Tunc quia licet ex nimia ad hæsiōe ad proprium iudicium, parvi ad movendum meum intellectum prædictum fundamentum æstimarem, immeritò tamen dicerem illud non esse in se grave, & sufficiens ad assensum prudentem, si video alios viros doctos post diligens examen eidem fundamento adhæsisse. Undè colligitur, quòd si ego sciam, aliquam opinionem in scholis, & libris ab alijs frequenter reputari certò probabilem, quamvis eius fundamenta hic, & nunc rationum gravitatem non percallem; nihilominus non debeo illam, vt improbabilem rejicere, dum mihi non adest aliquod speciale motivum, quòd alij non expenderit, & sit directè illius probabilitatis exclusio, qualis oritur ex Pontificis definitione; v. g. interim tamen licet obstet mei ingenij tarditas non teneor probabilitatem saltem extrinsecam dictæ opinionis

ni communiter probabilis æstimatæ denegare, sed possunt illam suo iuri relinquere.

ARTICULUS VIII.

Expletur doctrina præcedens, & discrimen inter fidei credibilitatem, & maiorem probabilitatem declaratur.

48 **Q**UÆ sæpius ad duximus paritatem ex credibilitate, quæ licet evidens sit, non tamen reddit evidentem sui obiecti existentiam; forsam, & in præfenti ex illa nos oppugnabis, & inquires. Evidentia credibilitatis doctrinæ nostræ fidei, licet non reddat eam evidentè veram provt à parte rei, sed dumtaxat credibilem ex vi suorum motivorum, reddit tamen oppositam doctrinam prorsus incredibilem: ergo evidentia maioris probabilitatis alicuius opinionis reddet aliam oppositam incredibilem, saltem in illius conspectu. Sed in primis respondeo, hoc esse contra mētem ipsius P. Thyrsi, si ea sit conformis reliquis Theologis, qui solum evidentia credibilitatis doctrinæ fidei hanc excellentiam, & efficaciam attribuunt, non autem, evidentia probabilitatis cuiuscumque opinionis, quamvis aliam excedentis in tali probabilitate. Alioquin sicut evidentia credibilitatis mysteriorum fidei vnica est respectu omnium, quibus sufficienter ea proponuntur, ita similiter maior probabilitas vnica foret respectu omnium, quibus applicaretur eius fundamentum; cum tamen plures eam maiorem probabilitatem ex prudenti motivo denegent, vt constat. Ex quo fit maiorem probabilitatem, non posse minorem prorsus destruere cum per se non sufficiat, vt talis reputetur ab omnibus, quibus eius motivum pro-



ponitur, atque adeò permittat motivum oppositum fundare in alijs intellectibus maiorem probabilitatem pro sententia contraria.

49 Undè respondeo 2. negando paritatem, aut instantiam: cuius ratio à priori est: quia actus fidei divinæ debet esse, ita certus, & si mus, ut excludat omninò dubitationem, seu formidinem, quia nec potest esse falsus: quare debet etiam ad ipsum præcedere talis evidentia credibilitatis, quæ similiter habeat talem certitudinem intra suam propriam rationem. De quo P. Suarez in tract. de Fide, d. 4. sect. 2. num. 4. & 6. & communiter omnes in 2. 2. quæst. 1. art. 4. At verò actus, sive assensus tantum opinativus, etiam si probabilior, semper est cum formidine, atque dubitatione contrarij præstitus: ut ipse P. Thyrsus in illius definitione expressè tenet. Undè neque requirit antecedentè aliquod iudicium, ita certum de eius credibilitate, ut excludat oppositæ partis verisimilitudinem, & credibilitatem, opinativam: quia nimirum neque opinio probabilis, etsi probabilior fundat, aut exigit fidem plusquam humanam, quæ fallibilis est; non verò divinam, quæ debet esse omninò certà. Et propterea plures Authores sentiunt, non posse coniungi in eodem intellectu fidem, & opinionem de eodem obiecto.

50 Ex quibus constat, non sufficere etiam ad fidem, sive ad voluntatem credendi iudicium tantum practicè certum de credibilitate obiecti, sicuti ad reliquas virtutes sufficiens est, iudicium practicè tantum certum de bonitate actus, hic & nunc eliciendi: nam ista certitudo practica fundari potest, sive inferri ex sola probabilitate speculativa, quæ ipsam antecedit de tali actus bonitate (ut etiam vult Mag. Thyrsus, qui solum exigit maiorem probabilitatem) atque adeò potest aliquando non existere à parte rei prædicta bonitas in actu; absque

eo quòd propterea eum eliciens peccet, aut non benè operetur formalitèr (ut dici solet) sed tantum materialitèr: quia sufficit prædictum iudicium antecedens ad operandum tunc prudentèr, ut infra explicabitur. At fides, sive illius actus nequit esse falsus, nec adhuc materialitèr (ut etiam nunc suppono cum communi, & certà sententia) atque adeò nequit regulari, aut fundari in iudicio antecedenti practicè solum certò ex vi alterius probabilis dumtaxat speculativè, etsi magis probabilis.

51 Cuius ratio à priori desumitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 3. ad 1. ubi docet, discrimen esse inter virtutes morales, sive pertinentes ad voluntatem, & intellectuales; quia priores non habent pro obiecto *verum*, sed *bonum*, & non provt est in se, sed ut tale propositum ab intellectu: posteriores autem versantur circa *verum* ipsum, ut circa proprium obiectum. Deindè fides divina (de qua loquimur) niti etiam debet Dei testimonio, seu revelatione, ad fidei puræ humanæ differentiam, quæ hominis tantum testimonio firmatur. Deus autem neque fallere potest, neque falli, atque ideò neque falsum dicere, aut testari: Ergo fides divina, si verè est talis, falsa nequit esse. Addidi autem, *si verè est talis*; quia putativè potest accidere, falsò eam talem iudicare, existimando scilicèt Deum testatum sic esse, sicut actu credidimus. De quo vide Coninch. d. 10. de fide, dub. 4. num. 73. & 77. qui etiam num. 78. explicat aliam differentiam partem de virtutibus voluntatis, & moralibus, quarum actus possunt esse reverà boni, & honesti (imò & supernaturales) quamvis in re obiectum, non sit bonum, quòd ut tale proponitur ab intellectu ex motivo prudenti, atque probabilis, aut probabiliori. Videatur etiam Lorca 2. 2. d. 10. num. 6. & alij plures: sed de hoc alibi Latius.



52 Nunc pro doctrina principali iterum animadverto, falli omnino Mag. Thyrsus, cum sæpè docet, quòd in conspectu opinionis manifestè mihi probabilioris, non potest contraria sententia verè, & absolutè apparere probabilis: quia neque possum iudicare eam veram, sed potius falsam; sicut nec illius fundamentum grave, sed levè, exiguèque, aut nullius gravitatis. Fallitur inquam, in hoc R. M. Thyrsus, quia eo ipso quòd opinionem adhuc, quàm iudico probabiliorè, non possum absolutè iudicare veram, sed tantum verisimiliorem (vt integro hoc examine contendimus) imò & cum formidine, an sit verè falsa; nequeo alteram oppositam iudicare omnino falsam, sed fortasse esse veram; & consequentè eius fundamentum reputo grave, siquidem est sufficiens ad suspendendum intellectum, ne iudicet determinatè, & sine formidine, priorem esse veram; licèt agnoscat esse verisimiliorem propter motiva tunc vt graviora apparentia, in quo etiam falli potest. Deindè quia in hac suppositione loquimur, quando nimirum vtraque sententia certò probabilis est, sed vna apparet nobis probabilior; non autem quando vna tantum nobis proponitur, vt verisimilis, & altera gravi fundamento caret.

53 Et ratio à priori fundari potest in iam relatis verbis D. Bernardi: *Opinio est (inquit) quasi pro verò habere, quòd falsum esse nescias*: Loquitur autem Divus Patrens de opinione probabilis. At qui etiam in præsentia opinionis, quæ apparet nobis probabilior, nescimus adhuc, quòd opposita sit verè falsa, cum nec ipsam sciamus, esse veram, sed verisimiliorem: ergo etiam alia remanet probabilis seu verisimilis, licèt minus, quàm altera, in quo etiam falli possumus. Atque ità sentiunt posse contingere, qui aliam probabiliorè iudicant; cur enim nos potius, quàm illi errare non possumus in prædicto iudicio de maiori, aut minori probabilitate, quam-

tumvis nobis videamur diligentissimè, & citrà passionem rem investigasse? Eo autem ipso veritatem nescimus, sive falsitatem vtriusque opinionis, licèt vna nobis appareat magis verisimilis; sicut opposita, vt probabilior alijs proponitur. Undè apparentia ista, tam nobis, quàm alijs oppositum defensoribus rem non scitam relinquit, atque aded omnes merito formidamus falsitatem in quacumque contradictionis parte: aut noster assensus non erit opinio tantum probabilior, sed fides, sive scientia, quæ solum certam habent veritatem, vt ex D. Bernardo supra constitit, & communi sententia firmatur.

ARTICULUS IX.

Quamvis intellectus nequeat speculative assentiri partim minus probabili, potest nihilominus minus probabilem opinionem ad praxim eligibilem iudicare.

54 **E**X supra dictis constar, valde in utilitèr tam longum tempus insumpsisse R. M. Thyrsus in explendis tot paginis in dissert. 3. vt probaret scilicèt, *Quòd nequit noster intellectus assentire illi parti contradictionis, quæ ipsi apparet minus verisimilis, quàm eius contradictoria; seu quæ magis ipsi apparet falsa, quàm vera.* Etenim quamvis hoc admittamus, nihil omnino ad præsentem questionem refert; in qua nõ agitur de speculativo iudicio sive assensu de veritate opinionis respectu obiecti provt à parte rei existentis; sed de illius duntaxat probabilitate respectu nostri, attentis eius fundamentis, vt nobis apparentibus. Undè opinio probabilis non est idem, ac verà, sed tantum est verisimilis ratione gravis fundamenti (etiam si sit omnino probabilior) atque ided non necessitat



fitat ad assensum obiecti prout est in se; sed ut plurimum inclinatur, aut movetur ut prudenter possit ut vera iudicari pro meritis sui motivi, quo nititur: & propterea, nec predictus Author, docet, quod quando opinio est manifeste probabilior, omnino necessario determinat ad eandem, vel eius obiecto assentiendum; sed solum quod ad hoc magis impellit, quam pars contradictionis opposita, in qua non apparet adeo vrgens fundamentum. Videatur cit. dissert. 3. cap. 2. ubi dumtaxat hoc probant eius argumenta: nam si obiectum apparens, ut magis verisimile, ad sui assensum raperet intellectum: nulla esset quo ad hanc efficaciam inter probabile tantum, aut probabilius, atque evidens differentia.

55 Quando ergo in praxi sequimur opinionem, quam certo iudicamus non solum probabilem, sed etiam probabiliolem, non eam sequimur, quia certo veram existimamus; sed tantum magis verisimilem in apparentia motivorum comparative ad alia oppositæ sententiæ. Atque hoc stare potest, absque eo quod opinio probabilior vera sit, & consequenter absque eo, quod ei opposita minus probabilis sit falsa: ergo iudicium practicum, quo hic & nunc decernimus eligere opinionem probabiliolem, non nititur in veritate illius prout à parte rei, cum hæc ita non sit, sed contingens, quod tali obiecto, & opinioni conveniat; solumque est assensus talis obiecti (cum formidine tamen falsitatis) eo quod nobis, ut verisimilius appareat; quod accidere potest, quamvis veritas re ipsa non detur. Tunc sic; ergo similiter debemus iudicare, quod possit esse vera alia opinio contraria licet nobis appareat minus probabilis seu minus, verisimilis: nam ratio timendi falsitatem in vno extremo contradictionis, movet ad sperandam in alio veritatem: & consequenter non debemus eam ut falsam certo reputare, nec tanquam omnino alienam à veritate rejicere; sed illam

illam in sua probabilitate relinquere, cui veritas convenire potest, atque adeo etiam ut eligibilem tanquam fortasse veram: si quidem nec probabiliolem aliter possumus eligere, uti nec iudicare omnino certam, & per se oppositam falsitati.

56 Quod potest confirmari 1. ex his, quæ docet noster Author, dissert. 3. iam toties citata cap. 2. §. 2. num. 24. ubi assignat differentiam istam inter evidentiam credibilitatis nostræ fidei, & evidentiam maioris probabilitatis alicuius opinionis: scilicet, *Quod evidentia prior ita reddit credibilem doctrinam, nostræ fidei, ut reddat incredibilem doctrinam ipsi contrariam, & inducat obligationem amplectendi ut veram doctrinam nostræ fidei: secus autem evidentia 2. de probabilitate etiam maiori cuiuscumque opinionis, quæ solum reddit evidens, dari fundamentum sufficiens ad præstandum illi assensum opinativum.* At hoc fundamentum etiam exhibet evidentia de vera probabilitate cuiuscumque opinionis, etsi minus verisimilis reputetur; siquidem opposita certà non est, sed solum probabilior: ergo adhuc potest intellectus illam iudicare probabilem, & consequenter iuxta illam operari in praxi: vel dicendum, non posse licite probabiliolem eligi ad praxim, si requiritur in opinione speculativa certitudo, & non sufficit verà probabilitas.

57 Confirmatur 2. ex his, quæ docet ibidem, num. 30. ubi approbat doctrinam Lorcæ asserentis, quod si alicui non proponatur fides cum evidentia dictæ credibilitatis, non tenebitur credere; sed excusabitur ignorantia invincibili, quam tunc pateretur. At quantum minus tenebitur, qui solum habet evidentiam de probabilitate opinionis (etiam probabilioris) ad illi præstandum assensum tanquam veræ? Cui solum assentiri potest, ut verisimiliori. Ex quo addimus, quod neque tenebitur ad eam practice sequendam, dum operatur; siquidem iux-



iuxta P. Thyrsium primum, idest opinionem omninò veram, iudicari, ad hoc secundùm requiritur. Deinde quia eo ipso, quòd non teneatur assentiri dictæ opinioni probabiliori tanquam veræ, potest oppositam nec omninò in credibilem, & falsam iudicare: ergo vt eligibilem in praxi, non secus ac probabiliozem censere potest; siquidem in qualibet sperari potest veritas ex credibilitate vtriusque opinativa.

58 Fortasse dicēs adhuc ex M. Thyrsio; quòd licet non omninò, & necessario opinio probabilior determinet intellectum ad assentiendum eidem tanquam veræ, quia ad hoc requirebatur evidentia de eius veritate; aut excessus probabilitatis, quem manifestè obtinet respectivè ad oppositam minùs probabilem, impedit prorsus, & reddit impossibilem assensum huius in conspectu illius; quia eo ipso intellectus iudicaret falsam, quam manifestè probabiliozem agnoscit: quòd implicat, vt latè probare contendit, dict. dissert. 3. cap. 2. num. 12. Sed in primis respondeo, etiam hoc admissò, nihil inferri ad quæstionem principalem de usu licito in praxi cuiuscumque opinionis verè probabili, & vt talis existimata; quando quidem ex parte opinionis eligibilis in praxi non requiritur veritas, sed vera probabilitas; quæ remanet in minùs probabili nisi hæc forsam adeò vincatur à verisimilitudine probabilioris, vt omninò debilitata in suo fundamento communiter iudicetur. Undè ex obiectione solùm probatur intellectum non posse directè assentire obiecto opinionis minùs probabilis, non verò, quòd istam non possit iudicare verè, certòque probabilem; & hoc ad istius eligibilitatem sufficet: nam licet opponatur quo ad simultaneam veritatem obiectivam, non tamen quo ad subiectivam probabilitatem. Deinde respondeo; quòd instantia ad summum probat non posse intellectum iudicio omninò firmo, & certò, assentiri opi-

opinionem minùs probabili tanquam veræ in se; quia eo ipso iudicaret probabiliozem, & cum maiori fundamento fortasse veram; at potest intellectus iudicare vtramque esse verisimilem. Et confirmatur, quia excessus probabilioris respectu minùs probabilis non est, quo ad veritatem in se, sed quo ad apparentiam verisimilitudinis: cum quo stat, posse intellectum vtramque iudicare probabilem, & fortasse veram, quamvis nequeat primæ, excessum probabilitatis denegare. Ergo non sequitur implicatio ponderata.

59 Respondeo tertio ex differentia, quàm fatetur ipse M. Thyrsus inter evidentiam credibilitatis doctrinæ nostræ fidei, & evidentiam cuiuscumque etiam maioris probabilitatis: videlicet, quòd licet prior evidentia non necessitet ad actum illi assentiendum, atque ideò ad actum fidei, præcedit semper pia, & libera voluntatis affectio; at necessitat saltem quo ad specificationem: *Quia est evidentia (inquit prædictus Author) ita reddens prudenter credibilem doctrinam nostræ fidei, vt reddat incredibilem doctrinam ipsi contrariam; secus autem secunda alia evidentia cuiuscumque opinionis etiam probabilioris.* Tunc sic: ergo remanet adhuc opinio alia credibilis, etsi minùs probabilis; & consequenter potest intellectus adhuc illam reputare non absolutè veram, sicut neque falsam, sed opinativè credibilem; quòd diximus iam, sufficere, vt licitè, & prudenter eligatur in praxi, sicut P. Thyrsus fateti tenetur de probabiliori, quàm iudicio, firmò, & certò nequit veram, aut falsam in se decenere. Et vrgetur à fortiori; quia nec evidentia credibilitatis doctrinæ fidei reddit istius veritatem evidentem in se: ergo nec evidentia maioris probabilitatis evidentem reddit veritatem huius opinionis; imò nec certam sicut credibilitas fidei; sed solùm verisimiliorem.



quòd intellectus assentiretur parti minùs probabili, sup-
 posita ea sententia, quàm Author ibi probat, respon-
 deo, eam solummodò consistere in eo quòd intellectus
 assentiens parti minùs probabili virtualitèr supponeret
 istam probabiliorè: cuius ratio est; quia eatenus in-
 tellectus assentitur alicui parti probabiliùm, quatenus
 attrahitur à verisimilitudine; & quo ista maior fuerit ma-
 gis inclinatur; sicut enim à veritate ipsa evidentèr pro-
 posita rapitur ad assensum; sic à verisimilitudine inclina-
 tur: vbi ergo potentia est necessaria, & pro meritis ob-
 iecti ad illud propendet, debet magis propendere in eam
 partem ex qua maior vis tractiva proponitur, si autem
 intellectus assentiretur parti minùs probabili inconsp-
 ectu probabilioris, virtualitèr assereret ibi esse maiorem
 vim tractivam, aut verisimilitudinem contra id, quòd
 intuetur: Et in hoc sibi contradiceret cum maiorem ve-
 risimilitudinem virtualitèr affirmaret, vbi certò cognos-
 cit esse minorem. Alia autem contradictio quo ad veri-
 tatem nulla est, dummodò intellectus dicat, vtramque
 posse esse veram, vtramque falsam, quamvis maiorem
 veritatis spem in hac opinativè ad esse fateatur. Quòd
 dictum sit in gratiam opinionis, quàm Author ibi defen-
 dit; qua negata iuxta aliam sententiam, quæ opposi-
 tum defendit, sine implicatione aliqua, poterit intelle-
 ctus à voluntate determinari ad assensum opinionis mi-
 nùs probabilis; vndè hæc remanebit absolutè in pra-
 xi eligibilis, cum etiam speculativè præ-
 ferri valeat.

(?)

*** **

AR-

ARTICULUS X.

Argumentum ex iudicio temerario, prout istud à R.M.
 Thyrso declaratur, contra eundem, & in confir-
 mationem proximè doctrinæ
 resumitur.

61 **V**T R. M. Thyrsus probet non sequi posse
 intellectum parti minùs verisimili assensum
 præstare inconspetu probabilioris, ex eo quòd prava
 voluntatis affectio imperet iudicium ex fundamentis le-
 vibus, ac proindè temerarium, vti non nulli Authores
 contendunt, latè explicat iudicij temerarij præsertim
 lethalis naturam, eadem dissert. 3. cap. 2. §. 3. num. 37.
 inquiens prædictum iudicium non posse concipi ex indi-
 cij, seu motivis, quæ levia appareant ipsi iudicanti, &
 minùs verisimilia, quàm fundamenta ad benè iudican-
 dum de proximo; sed concipi re ipsa ex levibus indi-
 cij, vel nullis (si maturè, & citra passionem perpendan-
 tur) gravibus tamen in existimatione iudicantis, cui ex
 odio, vel invidia, altera vè passione, vt gravissima re-
 præsentantur. Quòd vt probet, asserit num. 41. aut sup-
 ponit, iudicium temerarium, quòd extra controver-
 siam est mortale, tunc solum inveniri, quandò quis ex
 levibus indicij gravem in altero malitiam certò credit.
 Vndè subsumit: at implicat, quòd hoc iudicium temera-
 rium sit assensus partis minùs verisimilis cognitæ vt ta-
 lis ab ipso iudicante; cum sit manifestè implicatorium,
 vt quis pro certò habeat id, cuius oppositum cognoscit
 esse multo verisimilius.

62 Ex quo num. 43. infert, temeritatem iudicij,
 quandò est culpa lethalis, non consistere in eo quòd

K 2

an-



antecedentè ad illud concipiendum, cognoscat temere iudicans, se non habere fundamentum grave ad ita iudicandum; sed in eo quòd ex passione eidem repræsentetur, ut valdè verisimile, & grave tale fundamentum; cū posset, & deberet præsumere, illud esse re ipsa leve, totamque gravitatis, & verisimilitudinis apparentiam ex propria malitia provenire. Indè concludit num. 45. quòd ex iudicio temerario non rectè aliqui conficiunt argumentum ad probandum, quòd possit, quis (ex imperio voluntatis) assentiri parti contradictionis, sive opinionis, quæ minus verisimilis apparet.

66 Caterum ex iam dictis constat, hæc omnia à P. Thyrso in utilitèr prorsus fuisse tam latè discussa, si ad principale controversiæ punctum attendatur: quia solum convincitur, non posse intellectum (adhuc imperante voluntate) assentiri obiecto opinionis minus probabilis, aut isti tanquam à parte rei, & in se veræ; non tamen probatur, non posse iudicari opinionem minus probabilem absolutè credibilem, & fortasse veram; quòd satis est, ut illa utamur. Addo insuper, minus ad præcipuam quæstionem conducere, quòd temere iudicans tanquam certam affirmet malitiam alterius. Etenim neque opinio probabilior, & ut talis existimata movere potest intellectum ad iudicium determinatum firmum, aut sine formidine falsitatis; quòd tamen asserit Author requiriti, ut iudicium de alterius malo, temerarium, & mortale sit. Ex quo ulterius inferitur, quòd licet non rectè argueretur ex iudicio temerario, quando est mortale, sive quando omninò absolutè, & sine dubitatione, aut certò malum de proximo affirmatur; at ex iudicio temerario venialitèr tantum peccaminoso, quando nimirum non certo, sed formidolosè, aut opinativè assentitur intellectus alterius malo: rectè inferitur, quòd similiter possit etiam in reliquis materijs incertis, atque contingentijs

tibus assentire intellectus parti minus verisimili (opinativè scilicèt cum formidine) dummodò fundetur in motivo gravi, quamvis videat ad esse gravius aliud, pro contraria. Etenim qui temerarius tantum venialitèr iudicat, non assentitur ex motivis hic, & nunc gravioribus; alioquin sine formidine actuali iudicaret; & consequentè lethalitèr peccaret: assentitur ergo cum formidine: ergo ex motivo minus gravi, ad id urgente voluntatis imperio: Ergo sicut odio, aut ita potest intellectus assentiri parti minus probabili, sic in alia materia ex affectu, & propensione benevola ad aliquam opinionem, illiusque Authores poterit in eandem inclinari.

64 Quòd potest confirmari ex his, quæ ipse P. Thyrsus refert, & approbat citato loco, num. 39. in fine ex D. Thom. 2.2. quæst. 60. art. 3. corp. ubi distinguens triplicem gradum suspicionis prævæ, qui potest in nobis reperiri circa alterius malum existimatum, docet priorem esse quando homo ex levibus iudicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat: *Et hoc est (ait) veniale, & leve peccatum.* Quia verò nullum foret omninò peccatum, si actu non assentiret, vel suspensus maneret intellectus, & non determinatus saltem opinativè ad peiorem partem, fatetur P. Thyrsus, quòd in isto priori gradu prævæ suspicionis compræhendit D. Thomas non solum propriè dictam dubitationem, nempe suspensivam, verum etiam, & latè dictam, scilicèt opinionem, quam Paulò ante definierat, *Esse assensum alterius partis, & iudicium determinatum, sed infirmum, & vacillans, habens coniunctam formidinem de opposito.* Tunc sic: Ergo ex levibus etiam iudicijs potest intellectus noster sub imperio prævæ voluntatis assentiri alicui parti, determinate quidem; non iudicio certò, & firmo, sed formidoloso, & vacillante: atque idè huiusmodi assensus erit solum peccatum leve: è contra verò esset mortale, si esset omninò



firmus prædictus assensus; qui tamen cum ea firmitate nequit existere, nisi dum appareant intellectui urgentiora, & verisimiliora motiva, quamvis ex passione in ordinata iudicantis; ut diximus ex P. Thyrsio. Remanet ergo constans, quod possit dari assensus intellectus opinativus, idest infirmus, & vacillans ad partem aliquam, & opinionem, pro qua adest motivum grave, etsi non æquè gravitatis ac aliud pro contraria propositum: ut patet in iudicio temerario, quod sit tantum venialis culpa, iuxta D. Thomæ explicationem. Undè argumentum ex ista paritate sumptum validum est, quidquid renuat M. Thyrsus; & quidquid sit de requisitis ad hoc ut iudicium temerarium mortale, & non tantum veniale reputetur, quod huius loci non est.

65 Tandem ex præsupposita iudicij mortalitèr peccaminosi explicatione convinci potest, quam in merito reputetur sola opinio pro lege, probabilior, tanquam certa operandi regula: etenim sicut, qui temerariè iudicat, potest, & debet apparentia, & magis verisimilia motiva contra proximum deserere; eo quod timere debeat eam apparentiam fundari non in obiectio, sed in prava voluntatis preparatione; ita timere potest, qui sibi verisimiliora pro lege invenit fundamenta, ne ea maior verisimilitudo oriatur ex inclinatione proprii animi ad rigidiora semper meditanda; & consequenter non debet nimis fidere eidem verisimilitudini maiori contra actionis humanæ libertatem: sed iudicare forsam non esse adeò grave fundamentum in se; & propterea nec potest certus esse de maiori illa probabilitate; nisi velis tunc attendendum esse aliorum iudicium circa eam maiorem verisimilitudinem; ac tunc iam inspicies aliorum sententiam, ut probabilior certò iudices tuam pro lege: cur ergo quis non poterit cognoscere certò probabilitatem oppositæ opinionis, quam eidem constat, appel-

appellari, & censerì probabilem communiter ab alijs. Praterèa à fortiori potest homo timere ne ex nimio, licet non patenti, ad libertatem affectu assinet tanquam urgentiora motiva, quæ parti benignæ contra legem favent; & tamen non tenetur semper ea deserere, sed potius eisdem ad praxim regulari, si præcedat eorum prudens consideratio: ergo similiter, qui post prudens examen certò cognoscit grave adesse fundamentum pro libertate, non tenebitur graviori opposito se accommodare, cum hic excessus possit tantum esse apparens, & gravitas prioris motivi certò cognoscatur; quod satis est ut iuxta illud, praxim dirigamus.

ARTICULUS XI.

Electio opinionis certò probabilis pro libertate in conspectu probabilioris non est positiva temeritas, aut imprudentia.

66 **V**ENIAMVS iam ad aliud caput, ex quo R. M. Thyrsus communem sententiam evertere conatur. Itaque in eadem dissert. 3. cap. 3. § 10. Probat idem Author suam sententiam principalem; quam sui operis scopum appellat, videlicet: *Non esse licitum se qui opinionem minus tutam relicta tutiori, quando hæc apparent operanti manifestè verisimilior, tum ratione, tum auctoritate.* Quia nimirum (inquit) foret imprudentia positiva, & temeritas; si nullus autem licitè operatur, si prudenter, saltem non diuigitur, etsi non prudentissimè, aut magis prudenter: ut adversarij etiam supponunt, qui propterea dicunt, quamcumque opinionem adhuc minus probabilem esse, prudentèr eligibilem; in quo (addit) patiuntur magnam æquivocationem. Hoc postremum ut suadeat,



adverit num. 51. quamcumque opinionem, si est verè probabilis, habere aliquos Authores, qui eam defendant, ut probabiliorem: aliàs careret fundamento gravi, si neminem moveret ad eiusdem assensum tanquam veræ: vnde sequitur, quòd solum iisdem quibus apparet probabilior, possint iuxta illam prudenter operari; non tamen alij eam, ut talem non agnoscentes. Cum enim dici solet, sufficere opinionem certò probabilem ad licitè, & prudenter operandum, non est accipiendum absolute respectu omnium, sed eorum tantum, quibus ut probabilior apparet. Laborant ergo æquivocatione, qui ex relato principio inferunt, posse omnes operari prudenter iuxta quamcumque opinionem certò probabilem, etiam illos, quibus opposita apparet manifestè probabilior. Omitto plura, quæ Author à num. 54. congerit, quia nihil speciale superaddunt, & nituntur in eodem principio supra reiecto, & nunc reiiciendo, videlicet, requiri ad licitum vltim opinionis probabilis, quòd ab operante vera à parte rei censeatur.

67 Sed quis non videat R. M. Thyrsus maiorem in his pati æquivocationem, eà quam Authoribus sententiæ contrariæ, atque communi attribuit? Etenim existimat, esse necessarium ad prudentem vltim opinionis iudicium de illius veritate, nec sufficere, quòd operans sciat alijs viris doctis, & pijs, ut veram apparere quamvis ipsi aliter proponatur. In quo fallitur prius prædictus Author, cum neque suam propriam opinionem, etsi manifestè verisimilior, quam opposita representetur, possit absolute, & pro ut à parte rei veram iudicare. Quòd ultra superius dicta, hic iterum confirmo ex his quæ ex P. Thyrso retulimus art. præc. circa iudicium temerarium, quòd tunc ait, esse culpam gravem, quando in materia etiam gravi ex iudicijs, ut ipsa in se levibus, tamen ex passione ipsi iudicanti gravissimis appa-

apparentibus, de proximo malum affirmatur: quia (inquit) deberet potius, qui sic iudicat, præsumere ea fundamenta, quæ illi apparent gravissima, esse revera levia, totamque illam verisimilitudinis apparentiam, oriri potius ex malitia propria, quam ex aliena.

68 Contra quem sit retorqueo intra principalem controversiam: ergo quamvis mihi appareat aliqua opinio verisimilior in quacumque materia, possum, & debeo etiam præsumere, quòd forsitan hoc provenit, vel ex affectu, seu passione ad Authores illius (ut sapientissimè accidit, atque experimur) vel quia non ità considerate omnia fundamenta utriusque sententiæ perpendi: & consequenter solum potero ad summum opinionem sub maiori probabilitate propositam, verisimiliorem iudicare, non tamen esse veram in se; vnde neque oppositam determinatè falsam; sed tantum mihi minus verisimilem; in quo proculdubio falli possum: sicut falli constat, qui temere iudicat, quando graviter peccat.

69 Igitur non est positiva imprudentia, & temeritas (ut P. Thyrsus loquitur) ex quacumque opinione verè, & certò probabili etiam si minus tuta, minusque probabili respectu operantis ad praxim determinari: siquidem adhuc illi revera verisimilis apparet, & gravi fundamento nitens: & hoc sufficit ut prudenter, non temere operetur: aut pariter asseremus, quòd dum apparet probabilior aliqua opinio operanti erit positiva imprudentia, atque temeritas eidem conformari; quia solum remanet verisimilis ex gravi fundamento, quin possit vera in se, & sine formidine reputari: nam opinio pro ut talis quacumque sit, si habet assertionem (inquit P. Bernardus) temeraria est. Cum ergo opinio etiam probabilior possit esse falsa, non debet à nobis in se reputari vera; sicut è contra licet minus probabilis non reputatur absolute vera; tamen censeatur ex gravi fundamento vera.



ritati evidentè non repugnans; inferitur posse quemlibet sequi absque temeritate, & imprudentia positiva opinionem minùs probabilem, cum evidentè non cognoscat esse falsam, imò ex positivo fundamento veritati esse similem inspiciat.

70 Undè etiam fallitur M. Thyrsus dùm in citato loco, dissert. 3. num. 56. ità arguit ad probandum, fore imprudentiam positivam, & temeritatem eligere ad proximam opinionem faventem libertati inconspectu alterius pro lege, quæ verisimilior apparet. Vbi enim (inquit) agnosco rationes illas, quibus moti sunt quatuor, vel quinque Authores docti, & probi, qui dicuntur facerere opinionem probabilem, esse debiles, & comparatas cum alijs rationibus esse exigui momenti, & parvæ verisimilitudinis; possum prudentissimè, imò & debeo iudicare, illos homines errasse contra legem; & consequenter esset non solum minor prudentia, sed positiva etiam imprudentia, & temeritas sequi eorum opinionem contra legem Dei, in quo (vt aiebam) fallitur omninò; quia si solum probabiliter, non certò agnosco, sive potius existimo verisimiliter rationes illas non esse adèò graves, & fortes, sicut mihi aliæ pro contraria parte representantur, quæ propterea etiam tunc mihi apparet probabilior (qui est quæstionis casus) non debeo, imò neque possum iudicare, vt certum, sed dumtaxat probabiliter, & cum prudente formidine, illos homines errasse contra legem. Undè neque possum tunc certò iudicare, rationes illas, quibus adducti sunt quatuor vel quinque Authores docti, & probi in oppositam sententiam esse leves, & exigui momenti in se, & à parte rei, adhuc vt comparatas cum alijs, quæ mihi verisimiliores apparent. Si ergo prudentè timere possum ne motiva mihi verisimiliora re ipsa sint non graviora, & ne sententia mihi probabilior sit falsa, vt contingit in iudicio

temerario graviter peccaminoso; cur similiter prudentè non reputabo sententiam illam benignam fortasse veram; atque adèò rigidam absolutè non certam. At quamnam aderit temeritas, in eo quòd nolim adstringi præcepto, de cuius existentia sine temeritate, & prudentè debito? Quòd si rationes illorum Authorum non æstimentur communiter tanquam graves, sed potius vt in sufficientes reijciantur ab omnibus; iam eas reputare debeo exigui momenti, & ponderis, quia ità ab omnibus iudicantur. At hic non est nostræ disputationis status.

71 Urgeri potest insuper doctrina hæc ex ijs, quæ statim addit M. Thyrsus in eodem num. pro confirmatione istius sui erroris, sive æquivocationis: arguit enim ex verbis D. Augustini in Epist. 7. (quæ nos suprâ retulimus) in quibus docet S. Doct. *Quòd solum contra Divinarum Scripturarum auctoritatem, quia est infallibilis, non sunt attendenda rationes, quamvis acuta videantur cum vere esse non possint.* Ex quo infert P. Thyrsus: ergo è converso contra homines fallibiles, & de quibus evidentè scio, posse errare, si post diligentem veritatis inquisitionem invenio rationes validas infra evidentiam, & quæ mihi videntur fortiores alijs, quæ eos movent ad suam opinionem, possum prudentissimè iudicare illos tunc errasse. Eo autem ipso erit magna temeritas iuxta eorum opinionem operari contra legem.

72 Sed in primis, si ego possum iudicare alios Authores errasse contra legem quia id mihi verisimiliter apparet; cur non potero simul timere, hic & nunc me contra libertatem errasse, dùm scio, id alijs hominibus doctis, & probis post diligens veritatis examen, vt probabiliter representari? Cur non potero aliorum iudicio maturo, & prudenti sine temeritate contra propriam existimationem, & prudentè adhærere; cum vera prudentia sit, non propriæ, sed alienæ potius fidere. Deinde



ex eadem doctrina M. Thyrsi vrgetur, & vincitur eiusdem æquivocatio; nam ex verbis D. Augustini relatis, potius infertur, nullam esse opinionem probabilem dumtaxat, quæ obiecti veritatem infallibilem reddat, sicut testimonium quodcumque Divinarum Scripturarum; atque idè neque opinio, quæ mihi apparet probabilior, potest vt vera omninò iudicari, sed tantum cum formidine, & vt verisimilior, quia potest esse falsa. Undè si pro contraria opinione ad sint rationes, ex fundamento gravi, necnon Authores docti, & probi, qui illam reputent verisimiliorem; quis determinatè poterit assignare in quibus nam de facto error existit? Si ergo error determinatè non detegitur in hac, aut illa opinione, & in qua lateat nescimus, quo pacto iudicabitur imprudens, qui aliam non deserit tanquam falsam, & suam, quæ forsam est falsa, vt veram non sectatur. Maximè, quia D. Augustinus dixit, rationes, quantumvis acutæ, & fortes videantur, posse etiam fallere sua verisimilitudine eos, qui tales iudicant, cum possint adhuc esse falsæ: prudentè igitur timere possum errorem in opinione, quæ mihi longius ab errore ob argumenta, sua verisimilitudine, quandòque fallentia, proponitur.

73 Discrimen ergo inter Divinæ Scripturæ auctoritatem, & alteram quorumcumque hominum assignat D. Aug. in eo quòd rationes quælibet, contra id quòd Scriptura testatur, quamvis acutæ, & fortes appareant, falsæ iudicandæ sunt revera, & à parte rei; cum nequeant esse veræ, sicut neque falsum oppositum, quòd Scriptura docet. At rationes contra opinionem quinque hominum sapientum, cum nò sint cognitæ re ipsa vt falsæ, adhuc possunt movere alios ad assensum, cum opinio contraria non proponat apertam veritatem, aut certitudinem. Ergo sicut rationes contra scripturam, quia hæc re ipsa fallere nequit, approbandæ non sunt, sed vt cer-

certò falsæ reijciendæ; è converso, quia rationes vnius opinionis non supponunt, alias pro contraria esse certas, sed fallibiles, non debent reputari falsas; quia opinio per se fallibilis, nequit alteram oppositam reddere falsam.

74 Neque aliud intendit D. Aug. in Epist. 19. (cuius verba supra retulimus) vbi docuit, quòd licet alios libros; sive Authores, præter Canonicos non ita legeret, vt verum putaret, quòd ipsi vt tale affirmabant, quia ita sentiunt; at si nihil affirmant, quòd sit contra scripturam, imò ex illa probari possit, vt saltem aliqua probabili ratione, persuadere etiam poterunt, illud esse verum. Nam ita intelligendum est, vt verum dicat non à parte rei, sed pro verisimili. Neque propterea nego probabiles rationes, si fortes videantur, posse movere, & persuadere, vt intellectus determinatè iudicet, verum esse à parte rei, quòd ipsæ probant, & suadere contentunt; sed non sufficiunt, vt intellectus omninò firmè, & sine formidine falsitatis, ita sentiat, & consequenter præstat tunc assensum obiecto tanquam verisimili ex gravi fundamento: quia vt supra loquebatur D. Bernardus opinio certi nihil habens, verum per verisimilia querit, potius, quam apprehendit, id est manifestè non invenit: & iterum: Opinio est quasi pro verò habere, quòd falsum esse nescias. Non ergo qui opinatur, habet verum in re, seu manifestè cognitum, sed quasi habet ex vi rationum probabilium, quia falsum esse nescit; sive quia apparet illi verisimile: etiam quòd neque vt verisimile nobis intrinsecè, aut extrinsecè apparet, vt falsum omninò reputamus, & non verè probabile, aut opinabile.

75 Deniquè si minor auctoritas quatuor, aut quinque Doctorum non est sufficiens, vt eorum sententiam non iudicem falsam, quandò opposita nititur fundamento mihi graviori; at si mihi appareat vt probabilior sen-



tentia rigida, pro qua pauciores Authores numero, non erit imprudentia polsitiva sequi plures alios libertati faventes contra id quod verisimilius existimo: quando quidem P. Thyrsus vim statuere videtur, in paucitate quatuor, vel quinque doctorum: ergo sequi plurimos contra propriam sententiam imprudentia non erit; cum potius mihi persuadere debeam, eos paucos fuisse deceptos; communiter enim difficilius in alicuius rei examine plures falluntur, quam pauci. Quod si hoc neges, quod in prædicto casu debeo motiva intrinseca inspicere, & iuxta illa, sententiam præferre; sanè conijcio casum à P. Thyrso. excogitatum, in quo paucos Authores, contra reliquos operans sectaretur, sic proponi, ut exosam opinionem communem reddat, ex qua dissonæ illationes pro manant. Cæterum dummodò opinio benigna certa probabilitate extrinseca, & intrinseca fulciatur eis exaggerationibus locum non exhibet.

76 Sed inquit M. Thyrsus ead. dissert. 3. §. 7. num. 87. nullam aliam prudentiam, nisi carnis, quæ inimica est Deo (iuxta Apost. Rom. 8.) reperire posse in sectanda sententia minus tuta, aut contra legem, quando opposita apparet operanti, ut manifestè probabilior. Pro quo adducit in primis definitiones prudentiæ, quas tradunt Aristoteles, & D. Thomas, in quibus expressè docent, & requirunt, quod verè iudicet de rebus, quas imperat in praxi, prout hic, & nunc, iuxta rectam rationem, sive ordinationem ad bonum finem. Quomodò autem hoc verificari potest in eligente sententiam, quam probabilius iudicat esse falsam, & ad malum finem conducere. Respondeo ex sapius dictis, quod ut prudentia vera sit, & conformis rectæ rationi, non requirit, ut illam antecedit iudicium tantum probabilius (hoc enim etiam potest esse falsum) sed sufficit quod antecedit iudicium revera probabile, dum certum non habetur,

neque potest haberi. Eo enim ipso per reflexionem iudicari potest etiam certò moraliter, quod in praxi illud iudicium probabile sequi licitum sit: ut explicant Authores communiter, inter quos P. Moya 1. part. Select. tract. 1. quæst. 6. §. 6. & part. 2. in Appendic. ad tract. 1. quæst. 5. per totam: Imò ipse P. Thyrsus, siquidem etiam hoc admittit quando tale iudicium speculativum, est saltem probabilius, etsi non certum. Undè in prædicto casu dictamen de sequenda opinione contra legem, conformatur primò cum opinione opposita, quæ rationalis est. 2. cum ratione dictante non teneri lege, dum prudenti hominum examine certò non reperitur existens: 3. cum ratione, quæ favet libertati, dum clarè, & manifestè lege non impeditur: ergo erit dictamen prudens, dum dirigit hic, & nunc ad actum, qui contra legem certò non est, & aliundè est in operantis clarè non prohibitam utilitatem, qui potest esse terminus prudentiæ, ut patet in humanis, & moralibus.

77 Ad illud autem, quod inquiri num. 88. videlicet, ex qua intentione oriatur electio opinionis minus tute in occurso tutioris evidentè probabilioris? Nam neque (ait) oriri ex intentione alicuius virtutis cum eo ipso se exponat, qui ita operatur manifesto periculo violandi legem. Respondeo etiam ex dictis hoc postremum negando propter rationem sapius insinuatam; videlicet, quia non peccat formaliter contra legem, qui prudentè dubitat de eius existentia; & consequenter poterit sic operans moveri ex fine honesto, aut saltem non illicito. Imò à contraria ratione argui potest, eligentem opinionem certò probabilem minus tutam, & verisimilem, non se exponere periculo formaliter peccandi, cum possit ex fine honesto ipsam eligere: nimirum si eligatur picturatio in diebus festis, aut alia actio, quæ iuxta minus probabilem opinionem licita censetur,



tur, propter innocuam mentis alligationem ad tale opus; ne per illicita liberius divageretur. Præterea, si opinio minus tuta sit probabilior, ex quo sine eligi poterit? Non ex sine honesto; cum illam eligens exponatur periculo transgrediendi legem, si verè exiit; ut aiebas: nam si existit lex, æquè non observatur, sive probabili tantum, sive probabiliori ductus operans illi non conformatur. Tandem, quandò existentia legis certa non est, sed ex gravi fundamento de illa dubitatur, non teneor illam observare; quæ libertas à præcepto sufficit pro motivo non illicito operandi, sicut in omissione cuiusque actus non præcepti constat.

ARTICULUS XII.

Nullum est periculum violandi formalitèr divinam amicitiam in electione opinionis minus probabilis pro libertate. Vbi de dubio purè suspensivo.

78 **M**ANET proximè insinuatum aliud, & quòd valdè pro movere intendit P. Thyrsus, argumentum ad probandam positivam imprudentiam in electione minus probabilis opinionis intercedere, videlicèt, quia illam eligens violandæ legis æternæ periculo se committit. Itaque dissert. 3. cap. 3. §. 5. totis viribus persuadet, eum qui sectatur minus probabilem, & tutam, inconspèctu probabilioris sententiæ, eo ipso contemnere divinam amicitiam, cum voluntariè, & sciens se exponat manifesto periculo operandi id, quòd à Deo est gravitèr prohibitum. Hoc confirmat num. 95. desumpta ex humanis instantia, vbi abs dubio (ait) peccaret quis contra leges amicitiae erga alterum, si habens vrgen-

vrgentissima fundamenta ad credendum, amicum gravitèr offensum iri, dùm ipse talem actionem exerceret, nihilominus illam exequeretur, ductus alio fundamento longè inferioris verisimilitudinis, & probabilitatis. Certè (addit) ego tales amicos nollem habere, qui tam parvi facerent meas iniurias. Quo eodemmodò vrget num. 66. in exemplo Prælati, qui subdito operanti id, quòd sibi prohibitum sub obedientia iudicabat, merito succenseret, & tanquàm contemptorem suæ autoritatis reputaret; quidquid subditus allegaret, habuisse fundamentum aliud in contrarium, minus tamen credibile, seu verisimile, atque ità ab eo iudicatum.

79 Tertiò num. 67. instat etiam in dubio proprio, & suspensivo, quandò oritur scilicèt propter vehementes, & fortes rationes, æquales tamen pro vtraque parte: tunc enim temere se gereret, qui stante tali dubio illam, quæ esset contra legem, opinionem sectaretur; quia eo ipso se exponeret periculo eam violandi, & sic etiam contemneret Legislatorem. Ad quòd etiam adducit auctoritatem quandam D. Thomæ. Quodlib. 8. art. 13. vbi videtur clarè idem docere, loquens de habentes plures simul præbendas, etsi ex opinionum contrarietate, in dubium incidat, neque deponat: *Quia periculo (inquit) se committit, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem.* Ergo à fortiori (concludit P. Thyrsus) temere agit, & gravissimè delinquit contra supremum Legislatorem: homo ille, qui habens vrgentiora fundamenta ad iudicandum esse ab eo prohibitum aliquem contractum, quàm ad oppositum, eum nihilominus inire non recusat.

80 Cæterùm hæc probatio ad summum vrgere posset pro casu in quo opinio pro lege appareret cum notabili excessu verisimilitudinis; & ut talis communiter reputaretur; non verò quando excessus non est valdè



notabilis, nec communiter talis censetur, licet sufficiat ad oppositam in verisimilitudine vincendam: qui postremus casus regulariter contingit; cum non frequenter, sed raro manifestè agnosci valeat notabilis excessus in fundamento vnius opinionis respectu contrariæ: ergo saltem pro isto casu frequenti, & regulari, non vrget argumentum, quòd sententiam communem in eis circumstantijs exponit, in quibus dissona appareat eius doctrina. Præterea adhuc loquendo in terminis argumenti; probatio adducta videtur etiam vrgeri ipsum Mag. Thyrsium, qui non exigit ad licitè operandum, sicut Authores rigidissimi, iudicium certum de non prohibitione actus, aut quòd semper eligere debeamus id quòd est tutius; sed sufficere docet, id sequi, quòd nobis, vt verisimilius appareat, quamvis sit minus tutum, & in favorem nostræ libertatis contra legem. At eo ipso voluntariè, & scientè actionem eligimus, qui forsam est contra legem: ergo exponimur illam violandi periculo. Et quidem si operans contra legem ex iudicio probabiliori non contemnit divinam amicitiam, quamvis fortè lex detur, neque ex iudicio solùm probabili illa contemnitur: cum iudicium ex se incertum in primo casu possit, quia ex gravi fundamento conceptum, à formali transgressione legis excusare: ergo etiam in secundo; quia minor probabilitas contra existentiam legis non reddit illam certò existentem; sicut probabilitas maior non convincit eandem non existere: ergo quòd in utroque casu liberat à legis transgressione formali est positivum, & probabile iudicium eius existentiam, vt incertam proponens; quam incertitudinem, quo ad substantiam neque minuit, neque auget, sed solùm quo ad gradus non attingentes certitudinem, minor, aut maior probabilitas in favorem libertatis. Igitur si dum operamur minus probabili opinione ducti, contemnimus divinam amicitiam, idem di-

cen

endum, quòd vtimur probabiliori, quæ potest esse falsa; & consequenter voluntariè, atque scientè exponemur similiter manifesto periculo operandi id, quòd à Deo fuit graviter prohibitum. *Voluntariè* inquam, atque *scientè* siquidem possemus tunc, quòd est tutius eligere, vt supponimus.

81 Nunc iam pro omnibus respondeo ad præcipuam probationem; quòd licet exponatur sequens opinionem, quam iudicat minus probabilem contra legem periculo operandi contra illam reverà, & à parte rei; sive materialitè, at non formalitè eam contemnendo, atque adeò nec peccando: & consequenter neque spernit divinam amicitiam voluntariè, & scientè. Cuius ratio à priori est; quia non solùm nescit, an Deus illud prohibuerit, sed prudentè existimat, aut iudicare potest ex gravi fundamento opinionis, quam sequitur, illud verè non prohibuisse: quidquid clamet opposita sententia, quæ etsi videatur illi probabilior, non tamen certà, sed fallibilis, & fortassè falsa, vt sæpius annotavimus. Undè etiam quamvis probabilior, si tamen est contra legem, non liberat, iuxta illam operantem à periculo legem infringendi à parte rei, & materialitè, sed solùm formalitè, & imputabilitè ad culpam; cum hæc opinio, sicut & minus probabilis, in re possit esse falsa: ergo sive ex minori, sive ex maiori fundamento ducatur operans se exponit periculo violandi materialitè legem, si existat: ergo vel in utroque casu damnandus, aut potius erit excusandus à culpa formali ob ignorantiam invincibilem de reali legis existentia, imò ex probabili iudicio de illius carentia, quòd impedit eius manifestam cognitionem; at dum lex manifestè non obligat nullum esse potest manifestum periculum formalitè ipsam transgrediendi.

82 Dices: qui sequitur probabiliorem opinionem, videtur saltem securius operari in sua etiam existima-

L 2

tio



tionem; è contra verò ille, qui, quàm esse iudicat minùs probabilem, amplectitur: ergo ille minùs, & hic magis exponitur periculo violandi legem, & perdendi amicitiam Dei, atque ità iudicat, cum operatur: & consequentè hanc contemnit, qui minùs tutam, & probabilem opinionem sectatur, potens alia verisimiliori duci. Respondeo omissio antecedenti, & prima consequentia, in sensu, in quo sumuntur, videlicèt non absolute, & provt à parte rei, sed iuxta nostram existimationem incertam, & fallibilem, imò fortasse falsam. Sed negari debet secunda consequentia, aut illatio; quia eo ipso, quòd quicumque ex illis sequatur opinionem verè probabilem, atque ità ab illo iudicatam, solùm magis exponitur, qui minùs probabilem sequitur, aut potius iudicat exponi periculo frangendi legem à parte rei, & materialitèr, sed non formalitèr (vt proximè dicebamus ex communi doctrina) atque adeò neque peccat, nec contemnit legem, aut Dei amicitiam, quæ tantummodò propter peccatum deperditur. Aliàs istam etiam contemneret, qui probabiliorem minùs tutam amplectitur; cum sciat posse nihilominùs esse falsam; & aliundè maior probabilitas non sit absoluta certitudo de non existentia legis: ergo è contra remanet absolute periculum operandi contra legem. Videatur etiam Caramuel in Apolog. citato suprà Epist. 2. num. 86. & 87. vbi explicat, quomodò sequens minùs tutam, & probabilem, erraret quidem materialitèr, sed adhuc nec materialitèr peccaret.

83 Ad instantias adductas ex amicitia humana, & Prælato, aut homine Legislatore, respondeo idem esse dicendum, si homines non sibi velint amplius, quàm Deus, ab amicis, aut subditis deferri; cum eadem sit ratio, imò vrgentior in Deo. Quòd si ipse P. Thyrsus aliter velit amicos, & subditos, laudabo eum. In hoc non

non laudo. Posset tamen admitti discrimen inter Deum, & homines; quia Deus penetrat corda, scitque fundamenta, quibus homo interiorius movetur, cum non operatur iuxta suam legem, quàm propterea in tali casu non vult formalitèr obligare de illa prudentèr dubitantem: homines tamen qui solùm exteriora vident; si re ipsa amici, vel subditi contra eos operantur exterius, facilimè irritantur, & putant se contemptos fuisse, quamvis alij excusentur erroneo iudicio probabili, aut probabiliori, quia videlicèt nesciunt vtrum, vel in hac excusatione mentiantur. Aut tandem, quia homines sui iuris nimis celatores, nihil in alijs contra propriam voluntatem etiam inculpabilitèr commissum sustinere volunt.

84 Neque alia insuper instantia de dubio purè suspensivo, quàm retulimus num. 79. ex eodem P. Thyrso quidquam vrget: nam ideò temere se gereret, atque peccaret, qui cum prædicto dubio suspensivo minùs tutum eligeret, non præcisè quia se exponit periculo agendi contra legem realitèr, aut materialitèr (sic enim huic periculo se committit, qui minùs tutam eligit ex iudicio probabiliori, non tamen certò) sed quia imprudentèr, idest sine gravi fundamento, aut iudicio determinato, de non prohibitione talis operis, illud exercet. In quo sensu intelligendus venit D. Thomas in verbis, quæ à M. Thyrso ex eodem referuntur. Adeantur P. Moya in Select. tom. 1. tract. 1. q. 6. §. 5. & alij, quos recenset. Et sumitur hæc expositio, aut doctrina ex illo ad Rom. 14. *Quòd non est ex fide, peccatum est*: hoc est quòd non fit ex conscientia, seu iudicio determinato de illius non prohibitione, vt à SS. etiam Patribus communiter explicatur. Undè neganda est consequentia, quàm inferebat P. Thyrsus; nam etiam, quandò mihi appareant vrgentiora esse fundamenta autoritatis, & rationis pro contraria parte; possunt dari adhuc gravia, & sufficientia, ad



ad iudicium probabile, atque prudens, etsi minus, quam aliud, de non prohibitione actus; & in ista suppositione loquimur (vt sapiissimè advertimus) aut alias non tantum probabilior, sed certa diceretur opinio illa, quæ habet urgentiora fundamenta; & consequenter nullus locus permitteretur præsentì controversiæ.

ARTICULUS XIII.

Paritas ex medicina non debilitat doctrinam superiorem. Vbi de legis intimatione.

85 **V**T argumentum proximè dirutum instauret M. Thyrsus, novam aliam, & vt putat, robustam confirmationem illius pertractat, eadem dissert. 3. cap. 3. §. 6. à num. 68. eamque desumit a paritate medicinæ corporalis, in qua applicanda aut non applicanda temerere opereratur infirmus, si contra quatuor Medicorum magni nominis attestationem, duorum, etsi sufficientis authoritatis, opposita sententia eidem, vt minus verisimili apparente, potiùs vteretur. Pariter ergo iudicare debemus, cum in alijs materijs (de honestate, aut) malitia alicuius contractus opinantes; v.g. non sequimur sententiam viginti Doctorum magni etiam nominis, & quæ nobis videtur probabilior, & stat pro lege; sed aliorum duodecim sententiam ex fundamento secundùm se gravi deductam, hic tamen iudicatam, vt minus verisimilem, pro libertate sectaremur. Non enim (inquit num. 70.) est minor obligatio in nobis ad non violandam Legem Dei, quàm ad salutem conservandam, sed multò maior. Urget ergo argumentum ex medicina pro obligatione evitandi violationem legis sub minus probabili opinione.

86 Communis inter Authores solutio assignat discrimen inter ytramque materiam; atque, quòd mors consequens ex tali, aut tali medicamento, est effectus realis non dependens à placito Doctorum asserentium, inferendam non esse; & idè est imprudentia, quòd probabilius apparet non seligere. At peccatum in hac, vel illa actione dependet à iudicio intellectus antecedente ad illam, & non solùm à lege prout est à parte rei; vnde etiam si hæc existat, & prohibeat actionem; si tamen hoc vt certum ab intellectu non cognoscatur, sed tantum, vt probabile, quamvis probabilius dummodò oppositum iudicetur simul probabile; non adest sufficiens legis propositio, vt sit peccatum formalitèr, sed tantum materialitèr, contra illam (si fortè in re detur) operari. Sed hanc solutionem impugnat num. 72. quia sufficit, quòd non dependeat violatio legis prout à parte rei à iudicio, aut placito Doctorum, licèt verisimili, vt sequi teneamur, quòd saltem nobis probabilius videtur: cum debeamus vitare, quo magis possumus, prædictam legis violationem, non minus, imò potius, quàm propriam mortem temporalem. Vnde si sequimur scientèr, & voluntariè, opinionem, quàm iudicamus minus verisimilem (contra legem) cum possemus duci probabiliori, ea transgressio formalis erit, & non solùm materialis.

87 Hoc latius explicat num. 74. Nam transgressio (inquit materialis tunc contingit, quandò ponitur actio re ipsa contraria legi divinæ, neque adest noticia talis legis, nec fundamentum vllum prudens ad iudicandum eam existere; vt cum quis comedit carnes die veneris omninò ignorans diem veneris esse. At quandò adest urgentissimum fundamentum ad iudicandum existere legem, quo non obstante, quis ponit actionem, quæ re ipsa prohibita est, hæc est formalissima transgressio legis nam transgressio materialis transit in formalem per



hoc præcisè, quòd sit voluntaria, & libera: est autem voluntaria, & libera transgressio legis in prædicto casu; sicut est voluntaria, & libera occisio hominis, quàm quis exercet habens fundamentum prudens ad credendum occidendum esse hominem, si sagitta emittatur. Cõfirmatur (ait n. 75.) quia ut mors, est malum phylicum hominis, ità violatio legis divinæ est malum quoddam Dei, quatenus est frustratio divinæ voluntatis prohibētis illam actionem: ergo eodemmodò de utroq; casu est dilcurrendum.

88 Sed post modum num. 81. proponit instantiam, quæ se se offert contra prædictam rationem, & paritatem: quia nimium probat, & contra ipsum M. Thyrsus: probat enim quòd neque foret licitum sequi in prædicta opinionem minùs tutam, etsi probabiliorem: sicuti temere se exponeret periculo mortis, qui ommissa medicina tuta, aliam assumeret, quæ probabilius proficua affirmaretur. Sed respondet P. Thyrsus num. 82. negando antecedens: at sine probatione, nam quàm adducit, ad propositum non est, cum casum afferat, in quo pro vtraque parte medicina tuta non supponitur, sed probabiliter, & pro aliqua probabilius; & aliudè vrgeat necessitas ex illis alteram eligendi. At instantia procedit, quandò ex vtraque parte, hæc est re ipsa tuta, illa tantum probabilior, in quo sensu, aut suppositione tantum loquuntur etiam Authores rigidissimi, quos rejicit M. Thyrsus. Atque idem est dicendum de alia secunda probatione, quàm adducit seq. num. 83. pro negatione dicti antecedentis, vt legenti constabit.

89 Quòd autem postea addit num. 84. vt probeat non esse imprudentiam sequi opinionem minùs tutam, si est manifestè probabilior, atque aded id esse licitum: omittendum in præsentem est, quia videtur potiùs esse contra Authores Rigos (quos neque nos defendimus) etsi alios pariter oppugnare conetur, quos Benignos appellat.

appellat, quia docent, sufficere ad licitè operandum sectari opinionem verè probabilem, quamvis minùs verisimilem, & minùs tutam. Sed irritò conatu hoc intendit, & quin novum aliquid superaddat, ad ea quæ iam sæpè in superioribus diluimus.

90 Nunc ad præcipuam objectionem, numer. 85. propositam ex paritate medicinæ respondendum est cum solutione ex doctrina comuni tradita. Neque illam debilitat, quòd Mag. Thyrsus contra illam vrget ibidem num. 86. nam in primis instari debet semper, eo quòd nimium probat: inferretur enim, nos teneri ad partem tutiorem, relicta probabiliori in favorem libertatis, vt sic quantum possumus legis violationem vitaremus, scilicet adhuc materiale: vt consideranti patebit, & legenti P. Moya tom. 1. select. tract. 1. quæst. 5. anum. 2. ubi impugnat fundamentum illorum, qui ad tutiora semper obligant, quòd est idem ac motiùm quo M. Thyrsus in præsentem arguit. Deinde videantur etiam, quæ late adducit idem Moya ibidem, §. 1. à num. 6. pro communi nostra sententia: quibus impugnantur ea, quæ M. Thyrsus contra solutionem præfatam ingerit; & propterea alijs omissis, hoc tantum syllogismo vtor in præsentem ex P. Moya num. 12. & 13. videlicet: licitum est, iuxta communem Doctõrum consensum inter quos etiam adest P. Thyrsus) opinio probabilior pro libertate, & contra legem, etsi minùs tutam eligere; sed quandò Doctores dissident (sive sunt duæ opiniones probabiles) opinio probabilior, atque communissima asserit, licitum esse, quàm malueris partem eligere, etsi minùs tutam: ergo tunc etiam sequeris probabiliorem opinionem, scilicet reflexam: ergo licitè partem minùs tutam potes eligere. Confirmatur (attende) quia nullum argumentum contra reflexam hanc demonstrationem formari potest, quòd æquè non militet contra



Doctores directè asserentes (inter quos P. Thyrsus) non esse obligationem eligendi tutiorem opinionem ; si contraria pro libertate probabilior sit : æquè enim in vno ac in altero casu, exponitur operans periculo agendi contra Dei legem prout à parte rei. Ergo sicut in primo casu solum adest periculum mali physici, non moralis ; ità & in alio. Recolantur etiam sæpius à nobis dicta circa fallibilitatem cuiuscumque opinionis merè probabilis, etsi probabilioris.

91 Forsam dices pro Mag. Thyrso, reflexionem supra opinionem asserentem, esse licitum operari iuxta sententiam ; etsi minùs, certò tamen probabilem ; non sufficere pro evitanda formali legis transgressione ; quia nimirum prædicta opinio iam non est probabilior postquam ipse Mag. Thyrsus contra eam publicè disputavit, & scripsit : nam ostendit in suo libro graviores, & plures Theologos ab ea opinione dissentire ; & frequentèr alij moderniores Magistri ipsi P. Thyrso adhæserunt, à quo insuper sententiæ benignæ fundamenta alijs validioribus ferè evanuerunt. Ergo ea sententia (idest nostra) certa moralitèr non est, & propterea nequit esse tutaregula moralis operationis. Sed respondeo, hoc argumentum, quòd circa factum (vt aiunt) efformatur, non esse proponendum sapientibus, & illis qui non nihil eruditionis in hac matèria adepti fuerint : quibus ex Authorum lectione constabit, quàm communis semper extiterit sententia benigna : idèoque in hoc puncto non immorabor ; sicut neque in inquirendis Magistris, qui P. Thyrsi opinioni re ipsa, & sincerè se crediderint ; cum certius sit, apud scriptores cuiuscumque scholæ vix desiderari posse communiorem in aliqua opinione consensum, illo, quo passim approbatur vsus licitus opinionis certò probabilis. Aliud autem quòd superadditur de maiori efficacia argumentorum P. Thyrsi contra nostra sen-

sententiæ fundamenta ; gratis dictum esse censeo ; cum nullum ab ipso afferatur, quòd sæpius apud Authores non reperiatur æquivocationibus, falsis principijs tutiorismo faventibus, & denique solutionibus, aut impugnationibus ferè ex authoratum : vt & nos etiam in hoc Examine ostendimus.

92 Sed iam facilis est responsio in particulari ad ea, quæ adducit P. Thyrsus contra solutionem communem (vt ipse appellat) supra initio artic. expositam : etenim negamus suppositum, videlicèt, vitari potius legis divinæ violationem prout à parte rei, dum sequimur opinionem nobis probabiliorè, etiam si minùs tutam, quàm dum sequimur minùs probabilem : quia nulla certa est, & vtraque potest esse falsa ; neque minùs frequentèr hoc accidit vt probabiliori apparenti ; cum etiam opposita alijs viris doctis, & probis probabilior sit ; & tamen iuxta te verisimilius est fallam esse, sicut alij de tua præsumunt. Solum ergo ex maiori probabilitate nobis apparenti crescit quædam confidentia de illius veritate, & minuitur etiam formido, aut anxietas de eiusdem falsitate : non tamen verè datur securitas, sicut neque moralis adhuc certitudo de illius veritate, sed remanet semper formido prudens, an revera sit falsa. Undè negamus paritèr illationem, nimirum quòd scientèr, atque voluntariè legem violemus, cum minùs probabilem sequimur pro libertate, si re ipsa sit falsa ; cum adhuc ignoremus an opposita vera sit, quamvis nobis appareat probabilior. Videatur Ioan. Sanchez in Select. dissert. 44. n. 1.

93 Atque hinc 2. absolutè responderi potest ad probationem ex medicina relatam, negando scilicèt assumptum ; cum proponatur casus, in quo nulla medicina, aut sententia de ipsa tuta sit, sed vtraque dumtaxat probabilis, etsi vna mihi probabilior appareat ; quia neque propterea securior est à parte rei, & in se : pro quo

adeq.



adeatur etiam Ioannes Sanch. loco citato, num. 36. ubi refert alios, & P. Ioan. Angelus Bossius part. 1. de const. tit. 1.5.26. num. 458. et si num. sequenti oppositum defendat tanquam probabilius, loquendo de ipso medico, qui applicatur esse remedium, ob specialem in eo obligationem ortam ex officio; ut asseritur de iudice, vel confessario, & alijs.

94 Neque paritas valet respectu legis Dei propter discrimen assignatum à P. Henriquez in Proæmio Summ. Mor. §. *Non sola ratione, ubi in fine sic ait: Nec errare cum Platone, aut insigni Theologo, dum latet ignota veritas speculativa, nocet in praxi: In quo (observa) Theologus differt à corporali Medico, qui si morbi vim, quamvis sine culpa ignoret, necis occasio esse solet; sed qui sapientum, & prudentum sententia probabilis (non dicit probabiliori) acquiescit, nullum patitur periculum conscientia. Deus enim ita nobis ignorantibus indulget, ut eam sententiam confirmet ad salutem, & per Medicum spiritualem sanat etiam vulnera, quæ inculpabili ignorantia ignota sunt.* Hucusque Henriquez; cuius verba refert P. Bossis ubi nuper, §. 17. num. 138. qui etiam pro questione præcipua videndus est à n. 127.

95 Sed addimus, quòd probat Caramuel in Apologemate de Probabilit. Epist. 2. num. 87. videlicet, quòd quandò nulla est certitudo sed tantum probabilitas pro utraque parte de lege prohibente, tunc neque datur verè lex, saltem quæ obliget; quia neque sufficientèr est intimata: intimatio autem sive propositio legis est de illius essentia, aut conditio, sine qua non iuxta communem opinionem cum D. Thom. 1.2. quæst. 90. à 4. & videri potest P. Suarez lib. 1. de legibus, cap. 11. unde qui in tali casu minus probabilem sententiam de non existentia legis, quamvis in re ipsa falsam, sectatur, dici potest tunc operans cum ignorantia talis legis; sicut qui in die veneris comedit carnes, omninò ignorans talem ad

ad esse diem, quòd est exemplum P. Thyrsi: siquidem in neutro casu lex sufficientèr intimatur.

96 Nec responderi potest, legem æternam sufficientèr esse intimatam, per opinionem probabilioris de eius existentia: alioquin Deus frustra eam legem apud se statuisset, si eam non erat intimaturus. Sed contra; quia hinc infero potius non ad esse legem, quandò clarè, & certò non cognoscitur: nam si Deus illam statuit, cur illam clarè non explicat, ne detur locus opinioni probabiliori aliorum illam denegantium: ergo, quando clarè non intimatur, potius inferitur, non ad esse legem. Verùm absolutè dicendum est legem, sive placitum divinum in Deo existere posse, quin à nobis certò cognoscatur, & quin interea velit homines obligare ad eius impletionem. Neque dum manifestè legem non revelat, vult absolutè, & efficacitèr obedientiam nostram, sed potius homines iuxta ignorantia propriæ statum operari permittit, ob oculos suæ providentiæ fines. Alioquin deberet Deus scrupulos omnes, dubitationes, & invincibiles ignorantias impedire, ut eius voluntas omnibus certò constaret.

97 Specialisque huius providentiæ divinæ fructus in spiritali vita reputatur iudicij proprii subiectio, ad confessarij, Prælati, aut viri docti directionem, & consilium; in qua sanè Deus complacet, licet aliquando error materialis interveniat. Undè Divæ Theresiæ. à Iesv (ut ipsa refert, cap. 29. & 33. vitæ suæ) Deus præcipere solebat, ut suo confessario obedientiam præstaret, adhuc in his rebus, in quibus falebatur; utpotè contra ea, quæ Deus ipse revelabat, & monebat, ut eadem Virgo exequeretur; semper tamen sub confessarij obedientia, quamvis erraret, absque eo quòd Sancta Mater malè operaretur; quia talis error materialis erat, non autem formalis, & voluntarius; donec ipse Deus confessa-



feclario lucem veritatis emitteret iuxta conveniens, & præfinitum à se tempus. Ex quo delimitur opportuna, & robusta confirmatio pro iam dictis, & dicendis, circa legis transgressionem, aut intimationem.

98 Ad alterum, quòd adducit P. Thyrsus demittente sagittam cum iudicio probabili, inò & probabiliori affirmante, hominem esse occidendum, etiam si probabile appareat, esse feram: similiter respondetur, quòd hominis occisio à parte rei, non dependet ex nostro iudicio, & propterea hoc non excusat sagittantem à periculo hominem occidendi. At lex, ut nos obliget, inò ut sit propriè lex nobis imposita, dependet à nostra cognitione de eiusdem existentia, quæ est intimatio, sive publicatio legis; & sine qua formalitèr loquendo non est lex respectu nostri, sed purè remotè, & materialitèr; atque adeò, qui illam certò ad esse non cognoscit, eam formalitèr non transgreditur. Quòd confirmat Canonicum Decretum verbis, quæ ex illo refert. D. Thom. citat. art. 4. in argumento, *sed contra* (videlicèt est dist. 4. cap. *In iustis tempor.*) ubi dicitur, *quòd leges instituuntur, cum promulgantur.* Et sic etiam communiter Authores, quos refert ibi latè, ut solet, August. Barbof. Cuius rationem addit D. Thomas in corp. præced. art. *Quia lex* (inquit) *imponitur alijs per modum regula, & mensura: Hac autem imponitur per hoc, quòd applicatur his, qui regulantur, & mensurantur: unde oportet, quòd applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quòd in notitiam eorum deducitur.*

99 Quare etiam idem D. Thomas, & cum ipso reliqui in eadem 1. 2. quæst. 19. art. 5. docent, semper esse malam voluntatem, quæ est contra rationem sive rectam, aut veram, sive errantem, aut falsam (nempè invincibilitèr.) Quia nimirum obiectum voluntatis est res ipsa, non provt à parte rei; sed provt illi per rationem pro-

po-

ponitur (ut probaverat antea S. Doct. quæst. 8. art. 1.) unde si ratio illi proponat, ut malum, quòd à parte rei est bonum, & in illud feratur, ipsa volitio desumit rationem mali, non ab obiecto. secundum se, sed ut per intellectum apprehenso. Sicuti etiam è contra, si ratio ei proponat, ut bonum, quòd est malum in re, erit bona eius volitio propter eandem rationem: sic igitur in nostro casu, quàmvis reverà detur, atque à parte rei Lex divina prohibens aliquem contractum; si tamen noster intellectus oppositum proponat idque prudentèr, atque invincibilitèr, non peccabimus illam exercentes, neque contra legem; quia ut ibidem explicat ad secundum, potius est contra legem operari contra rationem illam proponentem: *Sicut si aliquis (ait) crederet quòd præceptum Proconsulis esset præceptum imperatoris, contemnendo præceptum proconsulis contemneret præceptum Imperatoris: (quàmvis hoc reverà non daretur) & similiter quòd ratio errans proponit aliqua, ut præceptum Dei; tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.* Ergo è converso quòd ratio errans (sive opinio probabilis falsa) proponit non esse præceptum Dei prohibens aliquam actionem, non erit contra ipsum præceptum illam exercere, sicut neque contra rationem, quæ prudentèr suadet non existere præceptum.

100 Undè negamus, quòd asserit M. Thyrsus; (ut retulimus supra num. 87.) videlicèt, quòd sicut mors est malum physicum hominis, ita violatio legis divinæ (in sensu in quo nunc loquimur) sit malum quoddam Dei, quatenus est frustratio divinæ voluntatis illam actionem prohibentis. Deus enim non vult, quòd homo operetur iuxta suam legem, nisi ut per intellectum eidem applicatam: quo pacto solum habet rationem legis respectivè ad hominem; & hic potest liberè velle suam operationem illi conformari. Quare etsi in re illi non conformetur

tur



tur ex errore invincibili, imò operetur contra illam; non solum non opponitur voluntati divinæ; sed illi potius conformatur, ut constat in exemplo adducto à D. Thom. de illo qui crederet præceptum Proconsulis, esse præceptum Imperatoris: tunc enim vellet Imperator, ut obediret, etiam si falleretur. Ergo è contra non vult Deus, ut homo obediat legi, quam probabiliter iudicat non adesse. Et insto, ut sæpius contra P. Thyrsus, qui non requirit etiam iudicium certum, imò neque tutius; sed sufficere docet sequi probabiliorem tantum opinionem, quæ potest etiam esse falsa, & ideo est assensus cum formidine.

ARTICULUS XIV.

*Sententia benigna non attribuit speciale privilegium
Doctoribus.*

101 **C**UM M. Thyrsus retulisset solutionem communem articulo præcedenti expensam, & confirmatam, miratur (num. 76.) quòd viri docti possint in illa quiescere. Quæro enim (inquit) unde probetur placitum probabile duodecim Doctorum affirmantium, quòd contractus non sit prohibitus, habere vim tollendi venenum culpæ à transgressione illa? Quis eis hoc privilegium concessit reddendi licitum quemcumque contractum, per hoc præcisè quòd affirmant, esse licitum? Qua autoritate: quo Conciliorum testimonio hoc privilegium fulcitur? Maximè verò quando simul dantur viginti alij Doctores oppositum docentes, & cum maiori etiam fundamento. Ex quo infert statim (num. 77.) tanquam novum absurdum, quòd sequatur ex sententia contraria: nempe quòd idemmet contractus erit licitus

tus simul, atque illicitus, propter diversas opiniones probabiles, atque contrarias. Cum ergo, hoc esse non possit, & alterum dumtaxat illi competere valeat, dicendum potius est prævalere, solum debere probabiliorem opinionem, & iuxta illam solum esse iudicandum, atque operandum.

102 Sed potiori iure mirari nos possemus, eius admirationem: siquidem nullum est venenum culpæ, sicut nec transgressio veræ legis, cum sequimur iudicium certò probabile; quia eo ipso non est sufficienter intimata, aut proposita, ut de facto obliget. Neque ad hoc est necessè, dari speciale privilegium in Authoribus, qui ipsorum iudicium probabile defendunt; sed sufficit commune ad omnes pios, & doctos, & qui moventur gravi fundamento: vel illud quòd convenit omni ignorantia invincibili; qualis datur, cum non cognoscitur certò legis existentia, imò ex gravi fundamento negatur.

103 Minus autem infertur aliud in conveniens superadditum: nam respondemus negando illam opinionem; eo enim ipso, quòd utrumque est probabile, & nihil certum: licitum erit dumtaxat, & non simul illicitum quodcumque eligere: quidquid sit an à parte rei hoc potius verum, quam illud, existat; quia ut sæpè diximus, ad licitè operandum necesse non est veram iudicare prove à parte rei opinionem, quam sequimur, sed tantum esse verè probabilem; quòd de utraque etiam opposita simul affirmari potest, de quo supra.

104 Sed inquit M. Thyrsus, §. 4. à num. 61, sufficit, quòd ego prudentissimè, ob fundamenta vigentissima infra evidentiam, iudicem eos Authores errasse, ut illorum sententiam tutè sequi non possim: sequi enim errantes contra legem Dei, quando prudentèr iudico, eos errasse, est planè illicitum. Hic honor namque solum debetur Scriptoribus Canonicis, ut securissimè possim illo-



illorum iudicium sequi, quamvis in contrarium mihi occurrat ratio apparenter validissima, quæ mihi videatur evidens: debeo enim credere, illam esse fallacem, quia opponitur assertioni Scriptoris infallibilis, quem credo errare non posse. Pro quo adducit verba D. Aug. Epist. 19. à nobis suprâ relata.

105 Præterea num. 63. addit M. Thyrsus, illam propositionem communiter admissam: *In humanis ut cum prudentia operemur (atque adeo licite) non nisi probabilitas necessariò requiritur, distinguendam esse: Probabilitas conspicua, & præponderans absolutè, & simpliciter probabilitati partis oppositæ; concedo: Probabilitas minor, præsertim si sit evidenter minor, nego.* Aut si absolutè concedatur dicta communis propositio (quia ut sapienter docet P. Suar. lib. 6. de Legib. cap. 8.) in rebus Moralibus, & in quibus omnis cognitio humana, coniecturalis est, alius modus operandi, quam iuxta opinionem probabilem, est ultra hominum conditionem: hoc solum probat contra Authores Rigidissimos, qui ad honestè, & licite operandum, requirunt, quòd operans formet iudicium omninò certum, & excludens omnem formidinem turpitudinis. Sententia autem communis Theologorum docet, sufficere iudicium merè probabile dummodò sit verè, & certò probabile: quòd nunquam continget, nisi formetur ex Momentis rationis, & autoritatis clarè præponderantibus motivis partis oppositæ. Hæc omnia P. Thyrsus citato loco.

106 Contra quem facillè quicumque (ex dictis à nobis sæpius) poterit insurgere: & in primis, inquirò etiam ab illo: Quis dedit operanti cuilibet (quamvis docto, aut pio, sed homine fallibili) hoc privilegium, ut eo præcisè, quòd illi probabilius appareat contractum aliquem esse licitum, possit tutè illum celebrare; cum possit etiam ipse falli, nec certò sciat non errare?

107

re? At P. Thyrsus hoc saltem admittit, cum non exigit, sicut Authores Rigidissimi, iudicium omninò certum, aut tutius; imò neque excludens omnem formidinem turpitudinis. Ergo non speciale privilegium est, sed naturalis modus operandi in rebus ita in certis; & iuxta conditionem propriam hominum, qui de ipsis solum habere possunt coniecturalem cognitionem, non evidentem, neque certam, communiter loquendo, ut benè Exim. Doct. ab eodem P. Thyrso citatus.

107 Deinquè inquirò, quâ autoritate, quo Conciliorum testimonio firmatur, quòd viginti Doctores habeant potestatem indicendi Legem Dei, licet forsam non existat, eo ipso quòd eis proponatur legis existentia, ut verisimilior, quamvis alij Doctores probabilioribus sibi rationibus ducti reclament? An lex æterna statuenda est tanquam capitularis constitutio, pro maiori suffragiorum parte? Undè hoc privilegium in Doctores fallibiles dimanavit?

108 Inquirò 3. Quarè potiùs sequenda sit opinio, quæ operanti (etiam si doctissimo, & post exactam diligentiam) apparet probabilior; si nequè adhuc ei convenit illud privilegium, sive honor, qui solum debetur Scriptoribus Canonicis omninò infallibilibus? Quàmvis enim videatur illi, verisimilius tunc alios errasse, non infertur, quòd ipse verum apprehenderit omninò infallibiliter; sed potest timere suæ opinionis errorem. Ergo neque etiam infallibiliter infertur, alios errasse oppositum defendentes: Ergo qui illos in praxi sequitur, non sequitur illos ut errantes, sed ut probabiliter iudicantes ex fundamentis eisdem Authores verisimilioribus: undè sicut possum meam sententiam sequi, quamvis in re sit falsa, quin propterea errorem ut talem ad praxim deducam, sic dicendum de operante iuxta aliorum opinionem, in qua certò non apparet error.

M 2

109 Hinc



109 Hinc distinctio illa, quàm inducit M. Thyrsus de Probabilitate *conspicua*, & *præponderante*, vel minori, & ut tali cognita, est prorsus voluntaria, & contra mentem omnium asserentium in libris propositionem illam communissimam, quàm propterea non audet absolutè negare, videlicèt: *In humanis, ut cum prudentia, atque adedò licitè operemur, non nisi probabilitas necessario requiritur.* Si namque intelligeretur de opinione probabiliori, non de quacumque etiam minùs probabili, falsa esset talis propositio absolutè prolata, cum sic nullam excludat, imò omnes positivè includat: præsertim cum adedò faciliter potuissent Authores si vellent, explicare sensum de sola probabiliori, immutato eo tantum nomine *probabilitas* in aliud *Probabilioritas*; aut adiectivo *Major*, aut *præponderans* apposito, ut P. Thyrsus præstitit.

110 Nequè valet, quòd ibidem in confirmationem suæ prædictæ distinctionis docet, nempe, quòd aliter nequeat ea propositio esse verà in sensu Theologorum, qui solùm asserunt, imò asserere possuat, sufficere iudicium mere probabile, dummodò sit verè, & certò probabile: quòd nunquam continget, nisi formetur ex momentis rationis, & autoritatis, clarè præponderantibus in conspectu motivorum partis oppositæ. Non tamen, inquam, valet ista responsio, sive confirmatio impugnatæ distinctionis, pro communi Propositione, quàm expressè negare non audet; eam tamen in re negat, dum solùm admittit ut probabilem opinionem, quæ nititur fortioribus, & sensibilitèr præponderantibus motivis præ opposita. Eo enim ipso nec quæstionem relinquit in sensu proprio controverso apud omnes Authores, & in quo ipse P. Thyrsus eam testatur disputare: videlicèt cum dantur duæ opiniones circa eandem rem inter se oppositæ, quarum quælibet habeat gravia fundamenta rationis & autoritatis, quæ sufficiant ad prudentèr eam iudicari.

iudicandam veram, licèt non respectivè ad omnes, saltem ad aliquos pios, & doctos, qui eam prout talem defendunt; non quidem certò, sed ut verisimilius apparet, & cum formidine, an fallantur. Si autem sumptas negat nemo, neque negare potest, eas opiniones esse verà, certòque probabiles, licèt non æquè omnibus, sed aliquibus vna, altera alijs appareat manifestè probabilior; imò & eidem intellectui cum hac varietate pro diversis temporibus proponatur, iuxta experientiam omnibus compertam, nec à M. Thyrso negatam.

III Qui solùm potest, & videtur dicere, manere quidem, esseque reverà probabilem vtramque, sed tamen vnam tantum absolutè, sive speculativè, non practicè, nec respectu eiusdem intellectus, cui vna apparet manifestè probabilior, quàm alia: nam eo ipso nequit ille tunc ut veram aliam iudicare, imò potiùs ut falsam. Quis autem (inquit, poterit prudentèr sequi in praxi opinionem, quàm nequit iudicare veram, neque legi divinæ conformem? Cæt erùm quis non etiam videat, semper in hoc æquivocari hunc A? videantur sæpiùs dicta suprà, ubi latè probabimus, non requiri ad licitè, & prudentèr operandum in praxi, sequi opinionem, quàm veram iudicemus absolutè, & certò speculativè; sed sufficere illam iudicare ut reverà probabilem (quòd iam concedit convenire vtrique speculativè) quàmvis appareat mihi vna probabilior; quia adhuc non possum istam certò veram iudicare, sed semper cum formidine de falsitate; alias non solùm ut probabilior, sed ut omninò certa mihi proponeretur, quòd quidem privilegium non habent homines fallibiles, sed dumtaxat Canonici Scriptores, ut ipse P. Thyrsus nobis obiecit.



ARTICULUS XV.

Suavitas Domini iugi sententiae benignae favet. Vbi de istius antiquitate.

112 **A**UTHOR noster, ead. dissert. 3. cap. 3. §. 8. à num. 93. probare contendit, verba illa Christi, D. Matth. 12. *Iugum meum suavè est, & onus meum leve, nihil favere sententiae, quàm defendimus de licita electione minùs probabilis, & minùs tutae opinionis, pro qua expendi solet praedictum testimonium. Et in primis num. citato sic arguit: iugum Christi (inquit) semper fuit sua ve, & onus eius leve in sensu ab ipso intento; & tamen opinio ista Probabilistarum cognita non fuit in Ecclesia Dei vsque ad saeculum decimum sextum; nam tunc primùm in scholas invecata est (vt antea iam notaverat in sui operis introductione) extensio autem, sive applicatio istius sententiae Christi D. ad praesentem disputationem vsque ad Caramuelem nunquam fuit audita: Ergo suavitas legis Evangelicae, quàm asserit Christus non dependet à Probabilistarum benignitate.*

113 Deindè num. 94. prosequitur: nam suavitas (ait) à Christo promissa in sua Evangelica lege, non tollit eius iugum, sed impositum leve, & suave facit. At probabilitates istae eo tendunt, vt iugum multorum praecceptorum omninò confringant, & ab hominum cervice excutiant: quòd creatura facere non potest; sed tantum debet collum submittere iugo à creatore sibi imposito. Ergo potiùs etiam debet inquirere, quid Dominus ab ipsa requirat, vt opere exequatur, quàm domini praeccepta infringere, aut negare. Praeterea à num. 96. explicat late adductis plurimis Patrum testimonijs, in qua

sensu sint intelligenda verba illa Christi de suavitate suae legis, iuxta diversas eorum interpretationes; quas omitto, quia omnes commodè verificari valent, & adhuc locus est ad aliam etiam interpretationem; maximè autem, sine qua verba illa Christi, falsa esse viderentur, vt iam probo.

114 Ratione scilicet communi, quàm tradunt Probabilitate (sicut eos appellat P. Thyrsus) si nanque non sufficeret ad licitè operandum, sive ad non peccandum contra legem Christi opinio quaelibet reverà probabilis, etsi minùs quàm alia (in casu de quo loquimur) esset onus intolerabile, multisque scrupulis expositum: cum difficilimum sit, imò ferè impossibile in omni re exactè examinare, quid sit probabilius, & tutius. Ergo non leve esset, neque suave iugum Christi, si teneremur semper tutius, aut saltem probabilius ad operandum eligere: Videantur P. Thom. Sanch. in Sum. lib. 1. cap. 9. num. 14. & Illustrissimus Caramuel in Apologem. de Probab. Epist. 1. à num. 13. vbi etiam hoc confirmat, quia ex opposita sententia inferretur, quòd Jansenistae docent, nimirum Deum saepè impossibilia iubere: cum impossibile sit in rebus moralibus, atque ita incertis, probabilius semper, & certò investigare: & rursus quòd neque excusaret nos à culpa invincibilis ignorantia, quàm frequentèr habemus de minori, aut maiori probabilitate opinionum, quae iuxta affectum, aut inclinationem propriae voluntatis diversimodè nobis apparent (vt fatetur M. Thyrsus relatus art. 1.) Hoc autem esset valdè durum, & reprobatum ab Ecclesia contra praedictos Jansenistas. Videatur etiam ipse P. Thyrsus dissert. 10. num. 50. & 51. & quòd ibi docet contra Authores Rigos, qui ad tutiorem semper opinionem obligant; nam applicari debent contra ipsum ob eandem rationem. Quòd si dixerit, non esse obligationem sequendi pro-



babiliorem in se, & secundum actualem apparentiam; respondeo hoc parum conducere ad Evangelicæ legis certam observantiam; cum hæc apparentia non sit minus fallibilis, quam minor verisimilitudo; & ex voluntatis inclinatione sæpius oriatur: vnde affectu ducente, opinio contra legem sæpè probabilior apparebit. Si rursus fateatur in hoc admittendam esse invincibilem ignorantiam: inquiri, quare non admittatur quo ad legis certitudinem, dum opiniones oppositæ reddunt illam incertam, ita ut non minus impossibile sit investigare tunc legis existentiam cum certitudine, ac maiorem unius opinionis probabilitatem, imò prorsus difficilius.

115 Ad id verò quòd arguit ex novitate sententiæ, quam defendimus, respondere possemus cum Caramuele iam citato Epist. 4. à num. 198. negando assumptum; quia etiam ab Apostolis, & deinceps ab alijs Sanctis, & gravissimis Patribus ad praxim redacta invenitur, ut latè ibidem probat. Nec oppositum ex aliquo certò fundamento monstrari potest. Deindè quid respondebit M. Thyrsus de opinione, quam ipse, & *Societas* tota, pluresque alij (vti & nos) nunc defendunt, nempe de *Scientia Media*? Est antiqua vel non? Et quidquid ipse dixerit, & nos in præsentia dicemus: nimirum esse novam, quo ad clariorem illius explicationem, non tamen quo ad substantiam, sive obiectum, quòd affirmat, ut ex Sacra Scriptura, & Patres comprobatur. Præterea instari potest in sua propria adhuc sententia, quam in præsentia promovere studet de obligatione sectandi probabiliora, & libertate eligendi opinionem, quæ sit probabilior, etsi minus tuta. Nam inquiri, est ne antiquior, quam alia oppositum defendens? In *Societate*, quidem novior est, & apaucissimis probata. Ergo cum iugum Christi sit antiquus, nihil ad illum exponendum huiusmodi sententia

tia conducit. Vel si adhuc potest quodammodo conducere; quare non etiam, & alia opinio, etsi recentior sit quam iugum Christi.

116 Ad aliud quòd urgebat, nempe quod istæ probabilitates eo potius tendunt, ut iugum Christi tollant, aut confringant in multis præceptis, quam, ut leve illud reddant, quamvis perseveret: respondeo instando in opinione P. Thyrsi, qui non requirit tutius sed probabilius, quamvis in re falsum: ergo hæc probabilitas eo etiam tendit, ut confringat iugum in multis præceptis, quæ negare potest, cum re ipsa dentur. Sed pro omnibus dicendum, hoc non esse, præcepta tollere, aut iugum confringere, quando lex obligat, & sufficienter intimata fuerit; sed impedire potius, ne nobis imponatur præceptorum iugum, quòd hic, & nunc à Deo non imponitur, neque voluit, ut nos obligaret propter ignorantiam invincibilem, quam habemus, & nostræ libertatis possessionem, quam etiam servari non renuit. At cur creatura imponat iugum, hominumque cervices præmat, quando creator obligationem, & onus ab ipsis aufert, & elevat? Constat ergo in communi sententiæ ob rationem insinuatam; meritò dici iugum Christi suavem, sicut è contra durum reverà, & grave diceretur, si adhuc nos obligaret, & præmeret cervices nostras, ut vult opinio contraria, iuxta illud D. Petri (Actor. 15. vers. 8.) *Quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices Discipulorum, quòd neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Additque (& Nos etiam cum illo) sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quem admodum, & illi.*

Videatur P. Moya tom. 2. Select. in Append.

ad tract. 1. quæst. 9. §. 8. num. 54.

& 55.



ARTICULUS XVI.

Ex sententia benigna non infertur, quemlibet operari contra legem, vel cum evidens non est illius existentia, vel cum non cognoscitur opinio probabilis pro libertate.

117 **O**POSITUM suadere præsumit M. Thyrsus ead. differt. 3. cap. 3. §. 1. à num. 111. dum absurdo arguit: *Quia opposita* (inquit) *viam sternit, ad asserendum etiam non obligare legem, dum non fuerit certa, & evidens eius existentia, quòd est absurdum: & hoc inferri probat: nam si semel quis non obligatur in praxi sequi opinionem stante pro præcepto, quàmvis ipsi evidentè appareat probabilior, quàm opposita libertati favens; sed sufficit, quòd hæc sit etiam probabilis, etsi longè minùs: nec etiam erit obligatus sequi sententiam prolege, quàmvis vnicè repræsentetur ipsi vt verisimilis, dummodò non vt evidens, aut certa: quia tunc poterit ità discurrere: omnis sententia, quæ non nititur fundamento certò, & evidenti admittit sententiam probabilem in contrarium; cum solùm certitudo, & evidentiâ excludat probabilitatem de opposito: ergo nunc non obligor ad servandum præceptum; quia etsi mihi non occurrat pro libertate opinio probabilis, hoc tamen est per accidens, vel ob imperitiam, vel ob ingenij tarditatem: id autem mihi nocere non debet; quando quidem prudenter coniectare possum, talem existere opinionem, ob incertitudinem sententiæ prolege: imò, & debeo iudicare, quòd aliquibus occurrerit fundamentum probabile ad illius carentiam persuadendam.*

118 Dein-

118 Deindè hoc ipso quòd existentia præcepti certa non sit, poterit mentem applicare ad inquirendas rationes suadentes, illud non existere; facilèque occurret aliqua ratio saltem dubitandi cum aliqua apparentia: hinc autem procedere potest ad iudicandum, dari reverà talem opinionem probabilem, quàmvis ipsi adhuc plenè non constet: vndè etiam Caramuel sapiùs docet, quòd vbi vna pars contradictionis est probabilis tantum; altera quoque erit probabilis: sicut quandò vna est dubia, altera nequit esse certa, sed pariter dubia. Ergo si sufficit ad licitè operandum opinio probabilis inconspèctu probabilioris prolege, sufficere etiam non esse evidentè certam legis existentiam, quia eo ipso supponitur, esse probabile quòd non existat.

119 Sed respondeo ad primam illationem P. Thyrsi, eam negando cum P. Thom. Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 10. num. 9. post medium, P. Fagundez tom. 1. in Decal. lib. 2. cap. 10. num. 4. & P. Bosisio tom. 1. variar. part. 1. de conscient. tit. 1. §. 30. num. 966. qui etsi doceant nostram opinionem; non tamen concedunt, sufficere non certitudinem de legis existentia, nisi etiam detur probabile iudicium actuale, & speciale de eius existentia; quia alitèr non potest intellectus positivè huic parti assentire, vel sibi illam immediatè persuadere ex gravi fundamento. Vndè colligitur hanc arguendi formam esse omninò inefficacem; cum ex eo quòd doceamus, sufficere in favorem libertatis opinionem certò probabilem, & vt talem iudicatam, infertur etiam satis forè carentiam talis iudicij. Sanè hoc ex primo eodem iure infertur, ac si ex opinione P. Thyrsi asserentis sufficeret probabilior actu propositam prolege, deduceretur sufficere probabilior solùm respectu mei intellectus possibilem: aut si ex eo quòd opinio examinata iam ab Authoribus debeat reputari probabilis; inferres;

Er



Ergo, & quæ valet examinari. Sicut ergo solum iuxta P. Thyrsus opinio actu ut probabilior iudicata, sic iuxta nos actu cognita ut probabilis sufficit ad licitè operandum.

120 Neque vrget, quòd operans tunc possit prudenter existimare, pro contraria parte dari opinionem, quàm ipse ob imperitiam, aut ingenij tarditatem non reperit: non (inquam) vrget; quia non præcisè ex eo quòd iudicium de legis existentia non sit certum, & evidens, infertur necessario, quòd de opposito detur opinio actu probabilis; cum possit etiam ob imperitiam, vel tarditatem ingenij, operans iudicare non certum, quòd reverà certum est. Præterea etiam si apud omnes sit non certum, neque evidens iudicium de legis existentia; si tamen mihi solum pro illa grave fundamentum, & nullum pro opposita adest, non potest meus intellectus huic assentire ob defectum obiecti formalis, seu motivi, quòd mihi non apparet actu, sed tantum ut possibile.

121 Dices, non solum de possibili, sed etiam actu potest prudenter, imò & certò moralitèr iudicare operans, dari opinionem pro contraria probabilem, ex eo quòd opinio pro existentia legis certa non sit (ut arguit P. Thyrsus) quia sola certitudo, & evidentia (inquit), excludit probabilitatem de opposito. Respondeo falsum esse assumptum; quia potest nasci in certitudo ex defectu medijs requisiti ad evidentiam, aut certitudinem; quàmvis non sit pro opposito fundamentum adhuc probabile; sicuti potest etiam dari purè dubium pro utraque parte; atque adeò in certitudo; & pro nulla sufficiens fundamentum ad iudicium probabile determinatum; v. gr. Stellæ, sunt pares, aut numero impares, & alia huic dubio similia. Undè etsi verum sit quòd certitudo, quando datur, excludat probabilitatem pro contraria parte; non tamen sola illa potest hoc præstare; cum idem præstet de

defectus medijs, aut fundamenti gravis, qui contingere potest, sine alterius partis certitudine.

122 Quare negamus etiam, quòd addebat Mag. Thyrsus scilicet quòd, dummodò non sit certa existentia præcepti, facile inveniet, qui mentem applicuerit, rationem aliquam saltem dubitandi pro hac parte negativa, quàmvis nunc ipsi non constet. Nam ut nupè dicebam, non omnia, quæ dubia sunt, etiam sunt probabilia; undè communiter dividitur conscientia in dubiam, & probabilem. Ergo etsi occurrat facile ratio dubitandi, non indè infertur dari etiam probabilitatem, cum hæc plus requirat, scilicet fundamentum grave, quòd non semper invenitur.

123 Sed occurrit prædictus Author, quotidiana experientia nos doceri, quòd in rebus in quibus homini non inepto utrinque apparent rationes dubitandi, semper vel ferè, semper inveniuntur aliqui Theologi cum ab obligatione absolventes: undè argumento satis verisimili sumpto ab his, quæ plerumque contingunt, in humanis, concludere apud se poterit, dari sententiam probabilem pro non obligatione, & si illi non occurrant, nisi rationes dubitandi. Respondeo tamen hoc nimium probare, videlicet non dari in homine non imperito unquam conscientiam dubiam, sed probabilem; quia eo ipso quòd dubitet, potest prudenter iudicare, quòd aliquibus saltem probabile apparebit, quòd ipsi tantum dubium nunc apparet. Undè per reflexionem istam transibit dubium in probabile. Quòd si hoc admittat P. Thyrsus, maiori absdubio fundamento docebunt idem Authores illi, qui propterea etiam asserunt, non obligare legem, quando non est certa, & evidens, illius existentia, quia nimirum ratione certæ possessionis nostræ libertatis per iudicium reflexum potest quicumque iudicare, saltem ut probabile, favendum esse libertati.



124 Aut si ideò P. Thyrsus hoc reputat absurdum, quia ex eo etiam sequeretur aliud, quòd vt tale potius, quam vt verum proponit, & instat : nil ad præsentem hoc conducit quæstionem, in qua supponimus pro vtraque parte dari reverà opinionem probabilem, non tantum propter reflexionem, sed directè, & formalitèr atque specialitèr. Quòd si aliquis, sententia communi sic ab uteretur (vt possibile iudicat P. Thyrsus) vt crederet esse sufficiens ad favendum libertati, quòd non appareat evidentèr repugnans opinio probabilis pro ipsa, vitium staret pènes sic inferentem; sicut pènes illum, qui ex sententia P. Thyrsi deduceret, possibilitatem opinionis probabilioris, quæ forsam vt talis appareret, si non retarderet ingenium, aut si iuvaret studium, sufficere ad operandum contra legem.

125 Undè neque necessarium est respondere ad alia, quæ contra illam opinionem, quàm absurdam reputat, in præsentì obijcit, & nos breviter retulimus. Videatur tamen Illustrissimus Caramuel tom.4. suæ Theolog. fundament. novissimè Lugdini impresso anno 1675. quem propterea De non certitudine inscribi voluit, quia in defensionem illius opinionis totum eum insumit; & aliorum etiam adducit approbationes valdè verisimiles non solum propter Authoritatem extrinsecam, & gravem illorum, qui suffragantur, sed etiam ob rationes, & fundamenta intrinseca non levis ponderis, quæ vt minimum ad veram probabilitatem sufficiunt.

* * * * *

ARTICULUS XVII.

Sententia benigna non reddit inutile Theologiæ Moralis studium.

126 O PPOSITUM probare nititur M. Thyrsus eadem dissert. 3. cap. 3. §. 9. num. 104. Quoniam, si quælibet (inquit) opinio probabilis, etiam in occurso tutioris assumi potest vt regula ad rectè operandum totus finis Theologiæ Moralis obtinebitur sine huius scientiæ studio, nempe per solam Historiam, aut Cathalogum opinionum probabilium, qui breviori tempore addiscitur, minorique studio, & ingenio, si adsit bona memoria. Undè neque ad operandum, vel alijs Consulendum erit necessarium libros evoluerè, sed indices legere, vbi opiniones, & eorum Authores recensentur. Tantique momenti erit ad casuum Moralium resolutionem consulere Theologum aliquem tyronem, vel Clericum purè casuistam, ac Magistrum omninò sapientem.

127 Ex quo etiam infert num. 107. quòd inutilis labor erit denuò scribere libros circa quæstiones Morales iam à Theologis ventilatas: maxime verò si loquamur de Probabilistis: siquidem nullum finem intendere queunt in scribendis novis libris ad res Morales pertinentibus: quia in eis supponunt, dari opiniones probabiles contrarias, & quamcumque sufficere ad conscientiae securitatem. Quid ergo faciunt, cum defendunt vnam, vel aliam tanquam magis veram? Etenim, si quæcumque (licet in se falsa) tuta, & sana supponitur, nihil ad mores iuvat, neque eis nocet, quòd sit verà, vel falsa à parte rei. Quare iniquum videtur etiam impug-



nare sententias favorabiles, quas in ipso disputationis limine, tutas esse, atque probabiles supponunt.

128 Respondeo 1. negando assumptum principales; quàmvis enim opinio quælibet probabilis, sit tuta ad licitè operandum, sive ad non peccandum, non tamen ad perfectius agendum, si altera opinio sit manifestè nobis probabilior. Sicuti etiam in sententia P. Thyrsi perfectius operatur, qui sequitur tutiorem opinionem, quàm qui solùm probabiliorē oppositam. De quo videri potest Ioan. Ang. Bossius part. 1. de conscient. tit. 1. §. 31. à num. 1126. vbi alios plures refert. Ergo adhuc finem saltem, nempe melius, & perfectius operandi non solùm utile, sed valdè necessarium erit studium speciale Theologiae Moralis, vt securius possimus inter noscere opiniones verè probabiliores, & tutiores, etsi eas non teneamur sequi; quia certæ non sunt, vt sæpius explicuimus.

129 Et hoc idem confirmat prædictus Author, num. 1127. vbi possunt videri: sufficiat autem quòd Apostolus docuit de Virginitate, 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 25. 38. & 40. *De Virginitibus (inquit) præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Et rursus: Et qui matrimonio iungit Virginem suam benefacit, & qui non iungit melius facit: item Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium.* Et addit: *Putò autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam.* Ad sciendum ergo quid sit melius, tutius, & probabilius, vtilissima prorsus est disputatio, discussioque rerum Moralium, & opinionum etiam probabilium, licet sufficiat quælibet ad non peccandum.

130 Deindè respondeo cum P. Moya vbi supra, quæst. 10. §. 1. num. 5. quòd licet per accidens ratione erroris, aut ignorantie invincibilis, cum veritatem assequi non possimus, sufficiat quælibet opinio probabilis ad non peccandum; per se tamen, si potest inveniri regula

gula tuta, inquirenda est opinio re ipsa vera; & adhuc inveniendam diriguntur disputationes, & libri in re Morali: quibus non semel obtentum est, vt plures opiniones falsæ ab Scholis exterminatæ fuerint, & ab Ecclesia etiam damnatæ; sicut & aliæ non levi fundamento de novo inductæ tanquàm veræ, quibus Deus viros doctos illuminavit. Ad hæc ergo libri, præla fatigant non inutilitè, neque illicitè, sed maxima cum utilitate, & Scriptorum laude. Ità prædictus Author contra Antonium Coeladei, à quo desumpsit P. Thyrsus ferè omnia, quæ hic transcribit: & fortassè ex lectione illius opinionem mutavit, quàm antea vt veram reputaverat per plures annos, vtpotè communem *Societati*.

131 Respondeo 3. instando adhuc contra P. Thyrsum, qui dumtaxat requirit opinionem probabiliorē ad licitè operandum contra legem: cum enim in libris referantur opiniones non solùm minùs probabiles, sed etiam probabiliores, & à pluribus defensatæ; inutile erit, & infructuosum in eius etiam sententia studium Moralis Theologiae, & sufficiet historia, aut index alicuius libris maximè ex his, qui ferè in omnibus materijs prædictam relationem faciunt; v. g. Dianæ, aut Leandri, & aliorum. Quòd si dicat, requiri iuxta suam sententiam, quòd opinio non solùm videatur alijs probabilior, sed operanti; atque ideò non sufficere relationem prædictam, quæ exhibetur in libris; sed ulterius requiri, quòd ipse operans perpendat, & exactè consideret citra passionem, & culpam, quæ fundamenta graviora sint, vt inde prudenter iudicet, quænam sit opinio verè probabilior. Contra hoc etiam insurgo: nam, vt sæpius diximus ab initio huius *examinis*, non est minùs fallibile, aut potius fallax proprium nostrum iudicium, quàm alienum in rebus ita obscuris, & in certis: atque ideò Proverb. 3. dicitur: *Ne imitaris prudentiam tuam, & ne stes*



sapiens apud temetipsum. Et Apostol. Paul. 1. ad Corinth. 4. Sed neque me ipsum iudico. Quare (interrogat D. Bernardus Epist. 42.) Quoniam non possum (ait) ratam vel ipse de me proferre sententiam.

132 Undè etiam S. Doct. Sermon 26. de diversis num. 3. hæc etiam habet: Vbi certa est Dei voluntas, omnino nostra sequatur: in his verò rebus de quibus nihil certum possumus invenire, nihil certum voluntas nostra (aut intellectus) definit; sed magis pendeat inter utrumque, aut saltem neutri parti nimis adhaereat, cogitans semper, ne fortè altera pars Deo magis placeat. Et post pauca: Nemo (inquit) in his, quæ certa sunt, hæsitet; nemo dubia pro certis admittat: nemo sibi (attende) in dubijs iudicium vendicet. Denique concludit: At quicumque nihil certum de huiusmodi in corde suo posuerit, in quamcumque partem postea convertatur, scandalizari (seu peccare) non poterit, si nimirum Prælatum interroget (aut viros doctos, si non habet Prælatum, aut illum interrogare tunc nequeat) & ab eo querat Domini voluntatem. Ità D. Bernardus: & quid ad intentum pulchrius? Non ergo (vt P. Thyrsus) suo tantum iudicio deferre debet quicumque, etiam si doctus, vt nimis illi adhaereat, aut certum, nec moralitèr quidem, reputet id, quòd ipsi probabilius evidentèr apparet: Sed cogitare debet semper (ait) Bernardus) ne fortè altera pars Deo magis placeat, & propterea: Nemo sibi in dubijs (sive vtrunque probabilibus) iudicium vendicet. Maximè verò, cum ex affectu, & inclinatione, seu passione voluntatis tam, facile, & frequentèr nobis appareant diversimodè res, atque opiniones, sicuti, & ipsa earum fundamenta, vt ex P. Thyrso notavimus Art. 1. & videri etiam potest P. Lessius lib. 1. cap. 1. dub. 4. n. 30. & 31.

133. Atqui idèd etiam D. Thomas 2. 2. quæst. 49. art. 3. probat, docilitatèr esse partem prudentiæ in nobis: Quia prudentia (inquit) constitit circa particularia opera

operabilia, atque contingentia, in quibus cum sint, quasi infinitæ diversitates, non possunt ab vno homine sufficientèr omnia considerari, nec per modicum tempus, nec per temporis diturnitatem: undè in his quæ ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab alio erudiri, quòd pertinet ad docilitatem. Ità Ang. Doct. in corpor. præced. art. & postea in solut. ad 3. & in fine concludit: Quia nullus (inquit) in his quæ subsunt prudentiæ sibi quantum ad omnia sufficit. Securius ergo, atque prudentius operabitur quis in rebus adèd in certis sequendo aliorum opiniones, si viri docti, & probi sint, & ex professo de eis disputaverint, quàm sequendo iudicium proprium, si per tempus non liceat sibi exactè omnia perpendere; imò etsi liceat, & videatur illi manifestè vna opinio probabilior, quàm alia, prudentèr saltem operabitur, deponendo, si velit, iudicium proprium, aut non illud sequendo, iuxta doctrinam istam D. Thom. & ipsius rationem, quàm confirmant ea, quæ tradit, latè, que ponderat, & benè P. Bolsius de conscient. 3. p. in Append. ad tit. 1. num. 2357. & 2384. vbi explicat difficultates pene insuperabiles, quæ communiter inveniuntur pro dignoscendo, quænam sit probabilior opinio inter contrarias circa res Morales; & quàm frequentèr in hoc variantur iudicia nostra de die, in diem, vt potè non certa: atque indè etiam oriuntur in hominibus, maximè teneræ conscientiæ, dubitationes, & scrupuli, an sufficientem diligentiam adhibuerint ad probabilius cognoscendum; an aliqua passione ducti, &c. Vide etiam eundem Authorem num. 2352. & in alijs, quos ibi citat; in quibus optimè exponit, quàm facile fallamur ex affectione voluntatis.

134. Nequè tamen propterea dicimus, quòd omnino se abstineant ab studio, & inquisitione veritatis in hisce rebus homines docti, aut literati, qui eas intelligere, aut perpendere possunt, propter rationes assigna-



natas supra in hoc art. sed quod nunquam sic fidant suo proprio iudicio, quamtumvis apparenti sibi ipsis manifestè verisimiliori; ut non etiam oppositum verisimile saltem, simul iudicent propter motiva, aut fundamenta, quæ alios viros doctos, & pios determinant ad illud amplectendum etiam ut verisimilior, consequenter, poterunt quodcumque licitè sequi in rebus ita in certis. Loquor autem de illis opinionibus contra quas non adest iam aliqua ratio adeo vrgens, ob quam, ut improbables saltem in praxi communiter apud Authores reputentur; sed potius retinent in communi æstimatione firmum suæ probabilitatis gradum fundamentum secundum se gravi stabilitum. Quod potest confirmari ex doctrina, quam tradit etiam Ang. M. 1. p. quæst. 64. art. 2. corp. ubi assignat discrimen inter Angelum, & hominem, quantum ad iudicandum de rebus: *Quod Angelus immobiliter iudicat, quia sine discursu; homo autem mobiliter, quia discurrendo de vno ad aliud; & sic potest ad utrumque oppositorum procedere.* Quod Caietanus ita explicat, & probat: *Quia eo ipso potest semper variari; vel ex aliquo passionis motu insurgente, vel ex aliquo medio probabiliore nunc secundum apparentiam; vel ex obliuione prioris medij, aut in consideratione eiusdem, &c.* Ergo non debet aliquis ita immobiliter, & fixe suo iudicio fidere, ut oppositum damnet tanquam improbabile, si alijs pijs, & doctis viris, videatur etiam probabilius, vel, ut minimum, saltem probabile.

(?)

* * * * *

AK

ARTICULUS XVIII.

Sententia benigna non minuit Orationis studium pro impetranda à Deo veritatis cognitione.

135 **D**ENIQUE in ead. dissert. 3. cap. 3. ultimo proponit, atque vrget M. Thyrsus aliud Inconueniens quod sequeretur etiam ex communi sententia de licita electione opinionis minùs probabilis in conspectu probabilioris: Quia tolleretur (inquit) studium etiam orandi, & enixe à Deo postulandi notitiam suæ divinæ legis, & veritatis cognitionem; contra id, quod passim Scripturæ nos admonent, ut perviam mandatorum Dei verè ambulantes ad ipsum perveniamus. Pro quo adducit non nulla testimonia ex Psalmis. Assumptum verò principale probat num. 121. quia si quælibet probabilitas sufficit ad securitatem conscientia, quorsum se quisque fatiget petendo à Deo notitiam veritatis, qui securum se reputat ductu cuiuslibet probabilitatis? Necessaria est ergo probabilitas præponderans, qua quis prudenter sibi persuadeat, veritatem esse potius penes illam partem, quam penes oppositum, vel saltem probabilitas æqualis. Quod confirmat n. 122. nam cum probabilitas sit communis utrique parti contradictionis, seu sententijs ex diametro oppositis, & veritas in vna dumtaxat reperiri valeat, convincitur, non quærere veritatem, qui relicta sententia longè probabiliori, & verisimiliori, amplectitur sententiam exiguæ probabilitatis, & verisimilitudinis: qui enim quærat opinionem, propter veritatem, eam amplecti debet, in qua maiora videt indicia, & argumenta veritatis. Ad quod etiam

N3

val.



valdè conducit Decretum Sanctissimi Innocentij XI. damnantis hanc Propositionem (quæ est tertia inter 65. ab ipso reprobata:) *Generatim, dum probabilitate quam-tumvis tenui consistit, aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

136 Cæterum quamvis hæc probatio habeat quidam speciem aliquam pietatis dum nos ad orationem hortatur, & impellit; habet tamen periculum timendum, dum suadere etiam vult, quod quisque sibi credat, & iuxta id quod intus sentit operetur, atque iudicet de veritate opinionum probabilium in rebus ad eo obscuris, varijs, & incertis, quod est pene impossibile. Videantur dicta art. præced. Quamvis ergo sit bonum, & maximè amplectendum, Deum orare, ut nos illuminet, & veritatis cognitionem tribuat, non tamen ideò præsumere debemus, quod nos semper exaudiat, & revelet, quod petimus; neque quod propria cogitatio, coelestis doctrina sit. Quare nec iudicium certum, sed fallibile omnino, & verisimile dumtaxat habemus de veritate opinionis, etiam tunc, quando apparet nobis longè probabilior; & consequenter nec tenemur etiam sequi illam tanquam solum veram, imò adhuc cum formidine de eius falsitate, assentire illi possumus, cum sit tantum probabilis: Alias exponeremur (ut dicebam) periculo timendo valdè; videlicet credendi nostro proprio iudicio, aut spiritui, contra id, quod nos admonuit Apost. Ioann. in sua 1. Epist. Canonica, cap. 4. vers. 1. *Nolite (inquit) omnino spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Circa quæ verba D. August. quærit (Sermonem 30. de verbis Apostoli:) *Vnde probo?* Et respondet: *Probare ego vellem, si errare non possem.* Non ergo, etiam si oremus, & petamus a Deo notitiam veritatis (vtri faciebat D. August.) approbare nos debemus, nisi cum dubio, seu formidine. *Quæ nobis etiam evidentè apparent verisimiliora, quia adhuc possumus errare.*

137 Quarè P. Cornelius à Lapide, in commentarijs prædicti loci Epistolæ B. Apostoli, sic ait: *Porrò lydius lapis, quo probandi sunt spiritus, & doctrina, non est privatus spiritus cuiusque (ut volunt Hæretici) hic enim à Diabolo esse, agique potest & sæpè est, ac agitur (atque inde prognata sunt tot secta inter se dissecta, quòd Capita Cerbero Poeta affinxerunt) sed Doctrina Apostolorum, & Ecclesiæ, quæ est solum certa, atque infallibilis in rebus ita obscuris.* Undè postea prosequitur: *Moralitèr hic docet Sanctus Ioannes, quemlibet fidelem non debere credere omnibus internis suis motibus, impulsibus, in inspirationibus, desiderijs, rationibus in speciem, bonis, &c.* Videatur ibi.

138 Quòd verò ex communi sententia, quam hic defendimus, non inferatur, esse inutile orationis studium pro luce veritatis à Deo circa eius legem obtinenda; constat 1. quia possumus enixe desiderare notitiam certam beneplaciti, aut divini consilij in ordine ad statum, qui nobis ad æternam salutem sit vtilior; & nihilominus permanere incerti, & dubij an hic, vel ille status vitæ nobis conveniat, scilicet vel sæcularis, vel Religiosus; interim tamen dum nobis non certò constat, non obligamur ad præsentis status mutationem; quovsqùè speciali inspiratione, ut assolet suam, Deus declaret voluntatem. Videatur V. P. Ludov. de la Puente tom. 3. Perf. Christ. tract. 4. cap. 1. Sic ergo præcibus legis declarationem obtinere à Deo nobis curandum est; at dum eam relinquit incertam, non obligamur ad illius observationem: & sicut ad dignoscendam Dei vocationem, sub obligatione eam sequendi, requiritur, quòd prudenter de illa non dubitetur; sic paritèr dicendum de legis obligatione. Secundò necessaria est oratio, ut Deus non permittat in nobis culpabilem certæ suæ legis oblivionem; iuxta illud *iudicia tua non sum oblitus*: nam plura peccata ex hac legis oblivione dimanant. 3. necessaria est



oratio, pro obtinenda practica legis cognitione, videlicet, quæ nobis grata, & suavia Dei præcepta repræsentet, vt sic facilius nos ad eorum observantiam alliciat, quod innuit qui aiebat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* 4. Ut mentem ab erroribus contra Dei manifestam legem in contaminatam servemus, nec in Hæreticorum miseros, lapsus declinemus. 5. vt fidelibus imperitis provideat Deus Prædicatores, aut Ministros, qui præcepta Decalogi explicent, aliaque ab omnibus observanda 5. vt dum occurrit dubitatio aliqua apud indoctos circa operationum honestatem, præpareret Deus viros, qui ex prava intentione, quod certò prohibitum est, non affirmant esse licitum: nec ex desiderio evitandi obligationem inquirant Magistros, aut directores passionibus obcæcatos: *Qui malum dicant bonum, & bonum malum; & sic ambo in foveam cadant, dum ad sua desideria coacerbant sibi Magistros vt cæcus cæco ducatum præstet.*

139 Præterea utilis est oratio assidua in Doctoribus maximè dum res Morales pertastant: nam ita fiet, vt Deus illos exaudiat, & omnibus idem inspiret, aut verisimilius proponat; vt tandem si lex verè existat, per hanc Doctorum consensionem ea reddatur moralitèr certa; opinioque illam denegans ab scholis relegatur. Adde, quod dum non redditur sic apud omnes certa legis existentia, saltem obsequium Deo præstatur, cum omittitur actus illi contrarius, ab eo, qui iudicat, vt verisimile, aut verisimilius legem existere; & pro hac etiam utilitate, convenit oratio vi cuius ea verisimilitudo pro lege obtineri potest. Vide quot titulis permaneat orationis utilitas pro lege æterna meditanda, eiusque veritate practice cognoscenda, etiam si, dum ea non revelatur à Deo, nec certa moralitèr invenitur, non teneamur ad illius observantiam. Undè constat invtilitèr adduci tot ex Psalmis testimonia, iuxta sensum P. Thyrsi, pro

pro quo debuisset afferre saltem aliquem Interpretem Scripturæ Sacræ, qui illa sic exponeret, & hunc ego non reperio, vellemque ab eodem P. Thyrso audire, an legerit alium, qui explicet omnia verba in quibus David maximè Psalm. 118. frequentèr orat, vt Deum illum in lege, mandatis, & via sua instruat, de maiori probabilitate opinionis circa legem, & non præcisè de probabilitate pro lege, aut præceptis Dei. Profecto possemus eius argumentum instare adversus P. Thyrsium; nam si sola maior probabilitas apparens pro libertate sufficit, vt licitè contra legem operemur, quid proderit studium orandi pro legis cognitione, & veritate, quæ si proponatur per vnum iudicium, ab alio probabiliori negatur, vt cuius legis cognitionem, & veritatem deserere possumus, cum fortè illam Deus nobis inspirat. Tandem addimus difficilius esse, quod ex sententia communi, absurdum, à P. Thyrso contra illam excogitatum, legitimè inferri valeat, si advertamus, eosdem Probabilistas fuisse viros Religiosos, & pios; nec de ipsis affirmari licebit, quod ex pura, & sincera intentione Deo placendi, & veritatis inquirendæ non impendissent vitam in studijs, quætionibus examinandis, & libris evulgandis. An quia erant probabilistæ à meditatione, aut Ecclesiastici Officij recitatione cessarunt, nec aliquandò usurparunt illa verba: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, aut alia: *Dà mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*, & similia quotidè in devotè repetierunt? Cæterum sicut oppositum nobis certum est, ita quod sententia communis non tollit à suis defensoribus studium pro legis æternæ veritate reperienda.

140 Ex quibus infero, neque etiam esse necessarium, quod veritatem semper attingamus, provt à parte rei, vt verè ad Deum perveniamus, si post exactam nostram diligentiam ad eam invepiendam, nihil certum habemus.



quia Deus noluit revelare per diffinitionem Ecclesie, neque aliunde nobis etiam constat evidentè: siquidem sufficet, quòd tunc prudentè, cum gravi fundamento, etsi fallibili, operemur; quòd licitum apparet; ut etiam docet P. Thyrsus, qui propterea non exigit sequi in praxi, quòd tutius, sed tantum probabilius, ut sæpius iam instabimus. Videantur etiam quæ iam diximus, articul. præced. ex D. Thom. Ad id verò, quòd addit P. Thyrsus de damnatione Propositionis 3. ab Innocentio XI. etiam dicta à nobis supra satis erunt.

141 Hucusque P. Thyrsus dissert. 3. iam citata, quàm dicit continere *Doctrinam principalem*, atque *præcipuè intentam* in toto suo opere: Undè videntur sufficere etiam, quæ contra illum iam scripsimus, ad impugnamdam eius opinionem; atque ideò ultra non progredimur, & quia ex dictis etiam facilè rejiciuntur, aut solvuntur, quæ ipse in reliquis dissertationibus potiùs inculcat, sive repetit, quin addat aliquid de novo, quòd speciali indigeat discussione.

ARTICULUS XIX.

Doctrina Examinis presentis ad corollaria deducitur.

142 **C**Orol. I. in rebus opinabilibus nulla cognitio opinativa esse potest speculativè certa, sed coniungi cum falsitatis timore necessum erit, saltem in viro prudenti, & qui nolit suis rationibus plus de ferre quàm mereantur, ut non declinet in vitium illud, quòd ut maximè omnibus sapientibus vitandum designat M. Canus lib. 9. de Locis, cap. 7. nimirum: *Ne incognita pro cognitis, incertaque pro certis habeamus.* De his namque cog-

cognitionibus absdubio loquitur S. Laurentius Iustinus de Casto Conub. cap. 8. inquiens: *Humanæ cogitationes cum futura prospiciunt, ex opinione iudicant: presentia verò tenuitèr, & cum magno ad inventiunt labore; nec tamen illa sine dubitatis caligine contuentur.* Si ergo humanus intellectus sine dubietate veritatem obscuram, non ad invenit, quomodò erit firmus, & certus de inventa veritate?

143 Corol. II. Qui assentitur alicui parti tanquàm verisimiliori, sed in qua veritas certa non apparet; non debet illam sine formidine falsitatis defendere; multoque minùs alteram etiam probabilem, ut certò falsam reprobare. Idem Canus lib. 8. cap. 4. aiebat: *Quid enim tam indignum sapientis gravitate, atque constantia, ut Cicero elegantissimè tradit, quàm quòd non satis exploratum, perceptumque sit, & cognitum id sine vlla dubitatione defendere? Quo loco sanè arguendi sunt Scholasticorum nonnulli, qui ex opinio-*

num, quas in schola acceperunt præiudicijs, viros alios Catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut meritò rideantur. Nobis autem schola nostra magnam quidem licentiam dat, ut quodcumque maximè probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere; sed non licet tamen eos, qui nobis sunt adversi temere, ac levitèr condemnare. Hoc mihi Consilium regula est, ut M. Thyrsi doctrinam liberius non increpem, cum ex illa inferri video posse quemlibet opinionem oppositam propriè, & cui assentitur falsam, & prorsùs improbabilem appellare, sicut propriam sibi proponit, ut certam, & vnice verisimilem. Deindè minor valdè, dum audio, non de esse, qui iudicet sententiam M. Thyrsi esse absque dubitatione certam: sanè probabilissimus integro sæculo tot Authoribus, & libris declaratus, certus adhuc tibi non evasit; & vnico libro pro sententia opposita contentus es, ad iudicij firmitatem? Ac si iam negotium huius controversiæ, satis perceptum exploratumque sit; cum tamen nihil sit magis



obscurum, quàm Probabiliorismi sensus, & veritas.
144 Corol. III. licèt intellectus ex maiori verisimilitudine vnius partis probabilis eidem assensum speculativum præstet; poterit nihilominus oppositam iudicare probabilem practicè, & quo ad mores. Cum enim assensus speculativus non excludat falsitatis timorem, non reddit aliam opinionem certò repugnantem veritati, nec eius fundamenta inverisimilia: imò licèt minùs timeat intellectus falsitatem in proprio iudicio, potest absolutè sperare alieni veritatem. Hinc licèt opinio hæc speculativè placeat, potest alia ad praxim, & mores non displicere; quilibetque prudenter cum eodem Cano, lib. 12. cap. 9. inquiet: *Quamquam alteram earum opinionum Metaphysicus probo; alteram Phylsophus Moralis non reprobo.*

145 Corol. IV. Quandò Authores ad quos illam inquirere spectat, de legis alicuius existentia opinativè dubitant, lex ea fideles non obligat: imò licèt maior pars legis existentiam affirmet; si adhuc eam reddit in certam, iudicium prudens, & ex gravi fundamento ab alijs Theologis vera probabilitate formatum. Sapienter hoc tanquàm axioma Theologicum notavit sæpiùs iam adductus M. Canus lib. 8. cap. 5. *Si Sanctorum (inquit) veterum consensus, ut lib. super. definitum est: non in omnibus legis questionibus sequenda nobis, & tenenda est, sed solum in fidei regula: nec quævis illorum etiam in re gravi communis opinio fideles adstringit; sed firmum constansque iudicium. Ecquid (observa) de Recentioribus Scholæ Theologis dicere oportet, quos veteres illi longè, & vitæ merito, & Scripturarum usu, & auctoritatis pondere superarunt? Undè etiam colligitur, quòd licèt plures Magistri, Thyrsi doctrinæ nunc adhærerent; cum ab oppositis rationibus, & gravissimis Theologis dubia valdè reddatur, non haberet vim, ut fideles adstringeret ad probabiliora læctanda.*

146 Corol. V. Quòd non sit obligatio sequendi probabiliora, ut vult P. Thyrsus, colligitur ex eo quòd si iste modus operandi ad æternam salutem hominum foret necessarius, id Deus revelasset; sicut reliqua ad salutem media declaravit: *Ne vera falsis miscerentur* (ut aiebat S. Laur. Iust. de triumphali Christi agone, cap. 1. post medium) *debut prorsus perspicua veritatis declarari testimonio, quòd pro hominum agebatur salute: quatenus Christianaplebs, & intellectum fidei, & fidem subderet Conditori.* Itaque sicut non obligamur ad credendum ea mysteria quæ opinionibus tantum in Deo proponuntur; ita neque ad obligationem operandi satis est, quòd proponatur lex sub opinione; neque enim intellectum, aut voluntatem hominum in certa lege, certò ligari vel ad credendum, vel ad operandum oportet. Profecto lex æterna, ut obliget intimari debet: hæc intimatio aperta, & citra humanas opiniones in Ecclesia fit: ut constat in præceptis Decalogi, & alijs tam divinis, quàm humanis, quibus omnes parere debemus. Lex Moyfi digito Dei fuit scripta: Angeli tuba publicata, verbis ipsius Prophetæ sæpiùs exposita, ut Hebræos, qui inter umbras, res divinas intuebantur, obligaret; & nos qui in Ecclesia filij lucis renati sumus legibus, neque scriptis, nec acclamatis, nec certò vllibi repertis, sed potiùs obscuris ligabimur? Illud iudico semper verum esse: *Præceptum Domini Lucidum illuminans oculos.* Quòd si Deus vellent nos in aliqua materia ad hanc, vel illam actionem exercendam, aut omitendam adstringere, vocem habet in Ecclesia; Pontificem, inquam, sum. qui populo Christiano adest sicut olim *Moyse Minister, & divinorum præceptorum interpret;* qui legem expetebat: *respondabat autem Deus sua voce, idest per filium, ut inquit Clem. Alex. lib. 7. de Adorat.* Dùm igitur filium nobis in suo oraculo non audimus legem proponentem; eam non imponamus: filium præcepit



Pater Aeternus, ut audiremus, qui si velit nobis imponere præceptum sua voce uteretur; ut sæpius præstitit movendo Pontificem, ad errorum, & Propositionum falsarum damnationem.

147 Corol. VI. Probabiliorismus non est regula ab Apostolis dimanans: 1. quia ex nullo scripto id probari valet: 2. quia si esset traditio Apostolica, illi tot Doctores Catholici, & in traditionibus versatissimi non contradixissent; nec eos Ecclesia in re stabilita dubitantes tolerasset. Videantur M. Canus de locis lib. 3. cap. 4. ubi assignat vias ad investigandas Apostolorum, & Ecclesiae traditiones; quin aliqua Probabiliorismo faveat, sed potius eius antiquitatem omnes oppugnant.

148 Corol. VII. Sententia M. Thyrsi non est probabilior doctrina communi attendente ratione, & auctoritate. Quo ad rationem constat assertum, vel ex hoc præsentis eius doctrinae *Examine*; qui plura desideret Theologos Morales inquirat. De auctoritate nihil refero. Videatur P. Esparça in Append. 3. p. ab art. 233. Ubi apparebit, cuius auctoritatis, & nominis fuerint in Societate, qui à communi sententia recesserunt. De cætera Deo autem, & alijs loquantur, qui sciverint. Legatur etiam Vincentius Ferre. 1. 2. tom. 2. tract. de Probab. Mastrius in 2. d. 5. de actibus hum. q. 2. à 2. ubi constabit auctoritas pro sententia communi in Schola Thomistica, & Scotica.

149 Corol. VIII. Prudentissimè se gessisset Reverendissimus M. Thyrsus, si doctrinam quam à sua Scholæ, & aliarum Auctoribus acceperat, non deservisset motus solum rationibus, quas illi faciliter dissolvunt; maxime cum ipse expertus esset in Missionibus, & in Societatis ad proximos impendijs doctrinam communem non perniciosam, sed animabus salubrem. Existimo, quod ab antiquis suæ Scholæ Theologis non recessisset,

fisset, si Vincentij Lirinens. Consilij vellet acquiescere, dum sic loquebatur, 2. ad Thimot. cap. 6. *Depositum*, (custodi) quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenij, sed doctrinae: non privatae usurpationis, sed traditionis publicæ: rem ad te perductam, non à te prolata: in qua non Author esse debes, sed custos: non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens: aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia subijcias. Custodi propter inimicos, propter fures. Et quidem quot erunt hostes *Societatis*, imò & Catholice Theologiae, qui rationes, & auctoritatem Reverendissimi P. Thyrsi in Theologos omnes, & præcipuè in *Societatis* Authores, tanquam in Christianæ disciplinae corruptores, furabuntur?

150 Corol. IX. Licuisset M. Thyrsi summa cum modestia, & sapientia laude, cum incidit in sententia communis diffidentiam observare regulam pro dubijs decidendis traditam, dist. 20. cap. *De quibus causis*. Ubi, casu quo veritas clarè non apparet, sic eam inquirendam esse decernit Innocentius, inquit: *Sineque in illis* (Scripturis, aut Apostolicis Decretis) *ad Catholicæ Ecclesiae Historias à Doctoribus Catholicis Scriptas manum mitte: si nunc in illis; Sanctorum exempla* (glos. Principis primæ, publicæ personæ, sive authenticæ, Apostolicorum) *perspicaciter recordare. Quod si his omnibus inspectis, huius questionis qualitas non lucide investigatur, Seniores Provincia* (glos. Sapientes) *congrega, & eos interroga facilius nàmque inventur, quod à pluribus Senioribus queritur.* Cum ergo pars, quæ in hac controversia placuit Mag. Thyrsi, dilucidè non in Scripturis, & Ecclesiae Decretis, aut Historijs appareat; debuisset exempla Episcoporum, qui sententia benigna utuntur, & Summorum Pontificum, qui iuxta minus probabilem sententiam sæpius videntur dispensasse;



vt alij erudite referunt : & tandem aliorum Generalium Societatis , quibus nunquam placere potuit Probabiliorismus , vt saltem illum evulgari Typis concederent. Quòd si hæc exempla in Principe Ecclesiæ , in Apostolicis Episcopis , in authentica , & publica persona Generalis prudentissimi , non erant P. Thyrso à suspicione falsæ narrationis libera ; aderat tunc recursus assignatus ab Innocentio , scilicet ad Seniores , & Sapientes suæ Provinciæ : (inter quos eminent M. Barbiano , & M. Lynce , quorum Sapientia mihi , & omnibus alijs. notissima fuit) imò totius Ordinis , & alterius cuiuscumque Scholæ ; hos autem omnes si congregaret , aut de sua mente consuleret , existimo , quòd dummodò synceris vellet responsis acquiescere , communem non deservisset opinandi viam ; qua ratione non adeò laborasset in suæ dubitationis solutione : *Facilius namque invenitur , quòd à pluribus Senioribus queritur.*

ARTICULUS XX.

Nova Corollaria pro praxi tam in operando quam in disputando iuxta presentem materiam.

151 **C**OROL. 10. Ad legitimum doctrinæ communis usum , oportet , Theologum esse accurate versatum in dignoscendis opinionibus certò , & verè probabilibus ; ad quòd maximè conducit Authorum lectio ; & omninò studendum erit in inquirenda Doctorum mente circa probabilitatem sententiarum , de quibus quæstio movetur. Sic enim fiet , vt non feramur circa quamlibet probabilitatis speciem ; sed illam solùm certò probabilem ad mores dirigendos reputabimus , quam

VI

vt talem communiter à sapientibus iudicari noverimus.

152 **C**OROL. XI. Quòd ex propria ratione ductus video aliquam opinionem ità mihi apparere verisimiliorem opposita , vt istam longè excedat in probabilitate ; neque mihi proponitur contrariæ sententiæ fundamentum vt satis grave , pro illaque stat minor Theologorum numerus ; inquirere debeo an Authores communiter illam certò probabilem esse iudicent , quamvis eidem speculativè dissentiant : quòd si ità invenero , non debeo ex privata mea ratione illam sententiam improbabilem decernere.

153 **C**OROL. XII. E contra non licebit mihi ità fidere proprio iudicio , vt opinionem , quæ in Scholis certò probabilis non reputatur , practicè probabilem defendam , vel vt sufficientem honestatis , atque prudentiæ regulam omnibus consulam : alioquin posset quilibet etiam parvi nominis Theologus tribuere suis cognitionibus probabilitatem , contra ipsam reliquis omnibus insurgentibus.

154 **C**OROL. XIII. Quòd vtraque opinio communiter recepta est vt certò probabilis , licet hæc confessario probabilior appareat , poterit secundum aliam , quàm sequitur poenitens , illum absolvere. Qui respondet consultationi , postquam suam sententiam protulerit , admonere poterit interrogantem de contrariæ opinionis probabilitate , & securitate. Magister docere tenetur , quòd sibi est probabilius ; at simul advertere poterit discipulis , contrariam opinionem , esse alijs Theologis probabilioris , & ab omnibus frequentè certò probabilem , & in praxi tutam iudicari ; si eidem hoc de facto constet. Desumit. ex P. Suar. 1.2. d. 12. sect. 6. & cum eo Doctores.

155 **C**OROL. XIV. Subditus in purè probabilibus

O

tene



tenetur semper obedire Prælato : exceptis solum manifestis peccatis. Hæc est doctrina communis Patrum, & Spiritus Directorum. Ideo aiebat S. Laurent. Iustin. de discipl. & perfect. cap. 21. de obligatione obtemporandi superioris imperio : *Nulla prorsus ratione frangatur, nullisque persuasionibus omittatur, nisi fortè divinis contradicat præceptis :: quia Deo potius, quàm hominibus obtemperandum est, in manifestis tantum : in dubijs verò superioris iudicio magis quàm proprio credendum est.* At in concursu duplicis opinionis, verè probabilis non adest Dei præceptum manifestum : Ergo subditus semper tenebitur manifesto superioris imperio, sivè oppositum iudicet probabilius, vel non, quàm distinctionem S. Laurentius non agnovit.

156 Corol. XV. Vir prudens, & sapiens, qui ex propria opinione aliquid agendum esse iudicat, prudenter, sapienterque potest alterius rationabile Consilium sequi proprium deferendo. Id confirmat citatus D. Laurentius eodem cap. circa initium exemplo Moylis, qui existimans esse proprium sui muneris causas populi iudicare, eas solus tractabat : *Audito namque gentilis viri (lethro) consilio, prudenter restrinxit negotia proximorum :: Non enim tantus Prophetæ saniori designatus est acquiescere consilio :: Huius admonitione exempli erudimur vtilibus semper parere consilijs.* Et sanè si Moyli proponebatur lex obligans ad causas populi iudicandas, quæ reverà non existebat, cur idem nobis sapius non continget ? Item vel Moyse operabatur in eo munere ex minùs probabili sibi opinione ; & sic quilibet operari sine culpa poterit, maxime cum Moysem vrgeret alia obligatio, nimirum vacandi Deo, & brevius expedendi populi causas : vel iudicium illud exercebat ex probabiliori sententia : & nihilominus illam deseruit, ductus alieno consilio. Cuilibet ergo idem licitum, & honestum in dubijs, & opinativis erit.

157 Corol. XVI. Licitum fidelibus est operari iuxta do-

doctrinam communem sectando minùs, certò tamen probabilem sententiam faventem libertati inconspetu probabilioris. Ratio est ; quia in hac controversia, sicut in quacumque alia, ubi opinionibus res agitur, licet fidelibus, sequi Doctores, qui in Ecclesia præcepta Dei, obligationem, aut libertatem examinant : in rebus autem obscuris debemus multum Theologorum sententiæ magis probatæ deferrè : *Vtpotè quia ad cernendum huius generis res, non alios Ecclesia, quàm Theologorum oculos habeat, uti sapienter notavit, Canus lib. 12. cap. 7.* Quis autem damnet sequentem Ecclesiæ oculos, quandò ipse clarè videre nequit ; aut illum, qui non tantum suis, quàm pluribus oculis fidere audeat ?

158 Corol. XVII. Non decet virum sapientem, etiam alijs titulis spectabilem, dicere : *Authores Probabilistas sententiam tradidisse afferentem re ipsa perniciem animabus : & quæ sic veluti anima omnium opinionum laxarum, illamque Deum in Ecclesia permisisse, sicut olim Arrianissimum : item non esse dignos attenta ratione, & autoritate ipsorum, ut fidelibus faciant fidem excusantem à peccato : Et id genus quàm plura.* Huius enim loquutionis dissonantia, vix adversus non bonæ notæ Doctorem sustineri potest. Sed quomodò hæc proferantur adversus Sapientiores Theologos, qui sua pietatè, & doctrina Scholas, & Ecclesiam illustrarunt, non capio. Sanè Mag. Thyrsus in sua introductione probat Probabilissimum habere Authores, & defensores ex omni Schola frequentissimos, & gravissimos : cur igitur tantum paucis, & modernis Authoribus deferatur, ut in istorum doctrina sit prudentia, ratio, autoritas, sanitas, & veritas, in illorum autem sententia collocetur imprudentia, debilitas rationis, & autoritatis, pernicietas tandem, & falsitas ? Si intra magnum Lycæum modò simul adessent illi primores Scholarum Theologi, sicut in Biblio-



theis eorum libri concurrunt ; ingredenturque de novo Gonetus , Contensonus , Mercorus , Coelladeus , Comitulus , & alij sectatores adversus illos omnium Magistros acriter inelamantes , eisdemque obijcientes morum laxitatem , perniciem animarum , doctrinae errores , & falsitatem ; quid rogo responderent Authores benigni , nisi benigna verba , quibus ad debitam reverentiam hortarentur , & ad proprii iudicij modestiorem defensionem . Ceterum dum ipsi tacent , pro eisdem audiamus respondentem Vincent. Lirin. in 1. Corinth. 14.

„ An à nobis verbum Dei processit ? An in vos solos pervenit ? Si quis videtur esse Propheta , aut spiritualis , cognoscat , quæ scribo vobis , quia Domini sunt mandata . Mandatum utique est , ut si quis est spiritualium rerum Magister , summo studio unitatis cultor existat , ut nec opiniones suas communibus omnium reliquorum præferat , & ab universonum sensibus non recedat . Id fiet autem , si duo præcepta teneantur : vnum , ut Sacrarum litterarum Interpreter semper in priores spectet à quibus verbum Dei processit in posteros . Huius enim rei Apostolus Corinthios monet inquiring , an à nobis verbum Dei processit ? Alterum , ut ne sensum suum tenaci contentione defendat ; sed prius reliquos Ecclesiae Doctores consultat : ut si viderit , omnibus id probari , quod sentit , tutò iam teneat ; sint reprobari , tutò iam deserat .

Hæc R. P. Thyrsus , ut sapiens , & prudens est , forsam sapius meditatus fuit , nec omninò despexit ; ideoque libentius à nobis observata feret .

* * * (*) * * *

Post



Post primam editionem huius opusculi , tam parvi , visum est aliquibus , non ita plenè in eo ; omnia impugnari , quæ in suo opere , tantò maioris magnitudinis , Reverendissimus Magister Thyrsus latissimè collegit , atque acriter defendit ; & propterea exigebant , ut plura adderem ad completissime illum rejciendum , & doctrinam communem magis confirmandam ; atque ita volui facere . Ceterum omnibus inspectis , atque benè consideratis (fateor) non inveni quidquam de novo utilitèr addendum , quia in prædicto opusculo , & si parvo , omnia videntur mihi existere , iam posita , & sufficientèr explicata , quæ necessaria sunt ad huiusmodi finem . Quòd ut omnibus pateat , referam indicem , sive Tabellam , duplicem quas ipse Reverendissimus Mag. Thyrsus , initio sui operis , apposuit omnium videlicet Propositionum Capitalium (nam eas ita appellat) quæ in eo stabiliuntur ; & simul etiam indicabo ego , quibus locis in nostro brevi opusculo impugnantur sufficientissimè , & consequenter non egere ampliori explicatione , aut adiectione , nisi velimus iterum , atque iterum eadem repetere , seu potius inculcare , & prædictum Mag. Thyrsium , in utilitèr prorsus , fecissè iam notavi , in nostro etiam opusculo , art. 18. num. 141. in fine .

2. Primà ergo Propositio Capitalis , quàm designat Mag. Thyrsus in priori sua Tabella , hæc est ; *Nemo potest sequi opinionem faventem libertati adversus legem , quando iudicat esse falsam , & legi divinæ contrariam , retento illo iudicio .* Quàm Propositionem , ait , probasse tota dissert. 5. à pag. 74. ad 82. Sed videantur etiam dicta , & probata

O 3

ta



ta à nobis in art. 4. nostri huius opusculi, cuius titulus est: *Veritas non debet esse Regula in probabilibus ad honestè operandum.* Cuius ratio à priori, quia in rebus moralibus, & in certis non potest veritas, prout est à parte rei certò reperiri, sed tantùm probabiliter; & consequenter neque poterit aliquis teneri ad eam inveniendam, ante quàm operetur, sed sufficet prudenter (imò certò) posse iudicare esse probabile, quòd asserit opinio illa, quàm sequitur, licet in re fortè sic falsa: Quòd etiam accidit, quàmvis prædicta opinio videatur operanti esse probabilior. Ergo nec potest quisquam ità iudicare suam opinionem veram, vt oppositam iudicet, reverà falsam, nimirum certò, sed apparenter tantùm, sive probabiliter, aut probabilius; atque hic est casus, de quo loquimur: Videantur etiam dicta à nobis in articul. 5. & 6. sequent.

3. Secundà, & Capitalis Propositio (& quàm præcipuè ab eo intentam, vocat Mag. Thyrsus) sic se habet: *Nemo potest sequi opinionem stantem pro libertate adversus legem, quando omnibus hinc inde consideratis, habet evidentè maius fundamentum auctoritatis, & rationis, ad iudicandum esse falsam, quàm ad iudicandum esse veram; quia nimirum videt pro contraria stare plures, & graviores Authores, & validiora momenta rationis.* De qua Propositione latissimè prædictus Mag. dissert. 3. per totam, à pag. 22. ad 49. Cæterùm etiam ex iam dictis à nobis, locis nupèr citatis, contra Propositionem præcedentem, manet hæc impugnata; quia si sufficit ad licitè, prudenterque operandum, posse iudicare certò esse probabile, quòd asserit opinio illa, quàm sequimur, nec requiritur veritas in ea, nec iudicium etiam de eius veritate, quæ inveniri non potest in rebus ità in certis: Ergo cum etiam in ocurso alterius opinionis oppositæ (quantumvis nobis apparentis manifestè probabilioris) manere possit adhuc

reverà probabilis, etsi minùs, opinio illa, quàm sequimur; licitè etiam iuxta eam, atque prudenter operabimur. Quia tamen P. Thyrsus, in prædicta dissert. 3. negat suppositum istius consequentiæ, & propterea defendit secundam hanc Propositionem; videantur dicta etiam à nobis in hoc opusculo, art. 5. cum sequentibus, ubi latè probamus, verum esse suppositum, & impugnamus quidquid in contrarium adducit dictus Author, & consequenter eius præcipuum fundamentum ad conclusionem suam principalem.

4. Tertià eius, atque Capitalis Propositio, hæc est: *Nemo potest sequi sententiam faventem libertati adversus legem, quando, omnibus hinc inde consideratis, habet absolutè, & simpliciter maius fundamentum ad iudicandum esse falsam, quàm ad iudicandum esse veram.* Quàm Propositionem defendit, in dissert. 4. per totam, à pag. 49. ad 72. sed, vt ibi fatetur, cap. 2. num. 7. plerèque rationes, quibus in dissert. 3. antecedente probaverat alteram Propositionem (iam à nobis relàtam) sunt, quæ probant hanc tertiam, quia nimirum idem ferè in vtraque affirmatur, vt ex earum verbis constat: Quarè nec egent etiam diversa impugnatione nostra, vt legenti patebit, quæ diximus citatis supra locis contra Propositiones præcedentes.

5. Quartà, & Capitalis etiam Propositio, sic habet: *Per nullam reflexionem potest excusari à culpa formali, qui sequitur opinionem faventem libertati adversus legem, quando, omnibus hinc inde consideratis, habet maius fundamentum ad iudicandum esse falsam, quàm ad iudicandum esse veram; præsertim quando illud maius fundamentum est rationis, & auctoritatis simul.* De qua Propositione agit tota dissert. 6. à pag. 82. ad 97. Vbi eam principaliter probat, quia tunc (inquit §. 2. num. 8.) *Non habet ignorantiam invincibilem malitiæ illius actus (quæ sola potest excusare) si supponamus in re esse contra legem, & opinionem illam minùs probabilem;*



lem, quam sequitur, reverà falsam; siquidem etià hoc cognoscit, & potest, imò, & debet, tunc ita iudicare, propter motiva intrinseca, & extrinseca, validiora, quæ movent. Ergo, &c. Cæterum, quis non videat hoc etià impugnatum esse sufficienter à nobis in art. 1. 2. 3. & 4. nostri huius opusculi? ubi latè probabimus, atque explicuimus, atque ex eo ipso Mag. Thyrso, nullam opinionem, quàm tumvis nobis probabiliorem aparentem esse certam, nec posse, ut talem iudicari, sed potiùs dubiam, fluctuantem, & vacillantem? Eo enim ipso in certà, & ignorata manet veritas adhuc sui obiecti, cum ipsa possit esse falsa. Ergo adhuc etià datur ignorantia invincibilis malitiæ illius actus. Videatur etià art. 9. huius opusculi.

6 Quintà, & Capitalis Propositio ità affirmat, seu potiùs negat: *Nemo potest sequi sententiam faventem libertati adversus legem, quando omnibus consideratis, non habet maius fundamentum ad iudicandum esse veram, quàm ad iudicandum esse falsam, eo quòd agnoscit paria momenta rationis, & authoritatis pro utraque parte: quia tunc manet anceps, ac dubius, ità ut nequeat determinare, quanam ex illis sit vera; in dubio autem tutior pars est eligenda.* Hanc fufissimè, inquit, per tractasse dissert. 7. à pag. 97. ad 125. Cæterum in utiliter, cum, ut sæpius probabimus in nostro opusculo, & locis iam citatis, ad licitè operandum sufficiat solum iudicare opinionem, quàm sequimur, esse verè probabilem; quòd simul potest iudicari de utraque etià opposita opinione; licet non simul esse veram. Videantur dicta à nobis, specialiter in art. 4. 5. 6. & 9. Illud autem, quòd addit ex Regula iuris, quòd scilicet *in dubijs tutior pars est eligenda*, intelligendum est de dubio propriè suspensivo, non solum circa veritatem utriusque opinionis, sed etià probabiliter. Videantur dicta etià à nobis, art. 12. num. 84.

7 Sextà Propositio: *Ut quis possit sequi sententiam*

faventem libertati adversus legem, non sufficit, quòd illa sit probabilior, seu verisimilior operanti cum excessu exiguo, & dubio; quia parum pro nihilo reputatur: sed requiritur, quòd sit manifestè verisimilior operanti cum excessu notorio, & id circo ab ipso indicetur vera, iudicio firmo. De qua Propositione agit prædictus Author (uti se ipsum refert) dissert. 6. pag. 90. num. 28. dissert. 1. pag. 12. a num. 46. ad 48. dissert. 4. §. 1. pag. 50. & dissert. 7. à pag. 119. §. 15. præsertim à num. 9. Contra quàm etià Nos sæpius disputavimus, locis suprà citatis; videantur, & præcipuè ab art. 1. ad 4. & art. 9. ubi probabimus, nullam opinionem probabilem dumtaxat, posse fundare iudicium firmum speculativum, sed vacillans, & fluctuans, seu formidolosum; & consequenter nec requiri aliud ad licitè operandum, quàmvis pro libertate, & contra legem.

8 Septimà Propositio: *Modus dirigendi conscientias, & resolvendi casus per probabilitatem opinionum faventium libertati, præscidendo ab earum veritate, seu ità, ut operans non transeat ad ferendum iudicium de earum veritate, est contra doctrinam, quàm constanter semper tenuit D. Thomas cum omnibus antiquis Thomistis, & Theologis: ut patè qui ad usum licitum opinionis minus tute in dispensabiliter requirit, ut operans sibi firmiter persuadeat, illam esse veram, & legi divinæ conformem; oppositam verò, & si sit tutior, esse falsam, & imponere onus, quòd Deus non imposuit.* De qua dissert. 9. à pag. 134. ad 141. Videantur tamen etià dicta à nobis in hac opusculo, tum art. 12. tum art. 17. & 18. ubi omnia rejiciuntur, quæ in citata dissert. 9. adducit P. Thyrsus, ut legenti omnia patebit. Et instantia contra ipsum, qui solum exigit ad licitè operandum, adhuc in casibus adductis ex D. Thomà, probabiliorem opinionem, etsi minus tutam; cum tamen non sit etià certam, sed incertam, & fallibilis: De quo ipse P. Thyrsus in citata dissert. 9.



cap. 1. num. 5. ubi etiam D. Thomam explicat in hoc sensu, & consequenter non exigere iudicium firmum (vti refert in hac Propositione 7.) nisi loquatur de ultimo iudicio pratico, de quo non agimus pro nunc, sed de speculativo antecedente, in quo fundari potest, & si tantum probabilis.

9. Octava Propositio: *In sententia Doctorum asserentium, posse intellectum ex imperio voluntatis iudicare esse veram sententiam faventem libertati adversus legem, quamvis habeat æquale, vel maius fundamentum ad iudicandum esse falsam, non sufficit iudicium sic conceptum ad securitatem conscientia, quia illud non est firmum, sed titubans, & necessario coniungitur cum prudentissima formidine de malitia actionis: unde operari cum illo iudicio virtualiter foret operari in dubio.* Pro qua refert se ipsum ad dissert. 7. §. 15. pag. 119. præsertim à num. 91. & §. 18. pag. 122. & dissert. 1. pag. 12. num. 47. & dissert. 11. pag. 175. ad 191. Hæc tamen Propositio ex dictis etiam manet impugnata, in locis iam citatis, imò, & in toto opusculo, ubi sæpius instatur, quia nec ipse Mag. Thyrsus in iudicio speculativo, de quo loquimur, exigit, nisi tantum maiorem probabilitatem, non autem certitudinem, quæ expellat omnem prorsus formidinem prudentem; aliàs non loqueretur in sensu controversiæ: Videantur specialiter tres priores articuli prædicti nostri opusculi; & videatur etiam art. 9. in quo probamus non requiri, quòd noster intellectus assentiatur actui; opinioni quam sequimur, nec quòd illam iudicet veram, sed dumtaxat probabilem, vt etiam in art. 4. prius fuerat satis explicatum; hoc autem sufficit ad certitudinem iudicij practici, & consequenter, vt nec virtualiter operetur in dubio, sed cum securitate non peccandi; vt existimat ipse, quando sequimur tantum probabilioris opinionem, non certam, nec omnino tutam.

10. Nonà Propositio: *Vt iudicium opinativum, conceptum ab operante de honestate obiecti, sit sufficiens ad securitatem conscientia, omnino necessarium est, vt formetur ob momentum authoritatis, & rationis manifestè præponderans fundamento sententiæ contraria, ac vt formetur sine passione, & precipitatione.* De qua dissert. 1. pag. 12. num. 46. & dissert. 2. pag. 17. à num. 15. & pag. 18. à num. 25. & dissert. 4. pag. 70. à num. 81. & dissert. 7. pag. 119. à num. 61. Cæterum cum opusculum nostrum totum sit ad probandum, non requiri ad securitatem conscientia iudicium opinativum probabilis, sed sufficere tantum reverà probabile, etsi minùs, de honestate obiecti; superfluum est loca aliqua in particulari designare in prædicto opusculo, in quibus ista Propositio plenissimè rejiciatur, cum neque illa etiam addat quidquam speciale.

11. Decimà Propositio: *Nostri sententia (inquit) duplici nititur principio, & utroque nobis certo: Primò, quòd nemo possit sequi sententiam faventem suæ libertati adversus legem, quin sibi persuadeat, iudicio saltim opinativo prudentèr concepto, illam esse veram, & legi aternæ conformem: Secundò, quòd nemo possit hanc persuasionem induere, quin inveniat maius fundamentum pro hac parte, quàm pro contraria.* Dissert. 8. à pag. 127. ad 132. Quam autem falsum sit primum principium ex his duobus, satis constat ex art. 4. nostri huius opusculi; & consequenter parùm ad rem facere secundum alterum principium, etiam si verum esset; de quo tamen dubitant plures, atque graves Doctores, imò oppositum docent nimirum posse iudicio opinativo, & prudentèr concepto, ex imperio voluntatis, determinari nostrum intellectum ad assentiendum tanquam veræ opinioni minùs etiam probabilis, cum habeat grave fundamentum, & quòd alijs Doctoribus, pijs etiam, & doctis, maius videtur, vt supponimus; aliàs non esset dicta opinio adhuc minùs probabilis reverà. Et instatur



similiter in opinione etiam, quæ appareat nobis omninò probabilior, non tamen certa, sed fallibilis, atque fortasse falsa, & propterea insufficientis ad determinandum necessario nostrum intellectum neque quo ad specificationem: De quo videantur etiam dicta in art. 1. 2. & 3. huius opusculi. Hucusque index, seu Tabella prior Propositionum Capitalium, quas contra Authores, uti appellat, nimis benignos (idest, sequentes nostram, atque communem opinionem) stabilire intendit in toto suo opere de recto usu opinionum probabilium: Videamus alteram Tabellam quinque aliarum Propositionum Capitalium, quas contra Authores nimis Rigidos (idest, exigentes ad honestè operandum opinionem tutiorem sequi, etsi minùs probabilium) stabilisse etiam affirmant in eodem suo opere; quas referre etiam volo, quia ex illis magis confirmantur, quæ ex nostro brevi opusculo contra priores alias iam citavimus.

12 Primà ergo Propositio secunda huius Tabellæ, & contra Authores Rigidos, hæc est: *Quando disputatur, an aliqua actio sit honesta, vel turpis, ut quis possit tuto conscientia amplecti partem minùs tutam faventem libertati adversus legem, non est necesse, ut illa proponatur ipsi tanquam omninò, certa, sed satis est, ut citra passionem, & culpam, post debitam veritatis inquisitionem, appareat ipsi manifestè verisimilior, quàm contraria & ab ipso iudicetur absolutè vera.* De qua (inquit) tota dissert. 10. à pag. 142. ad 174. Cæterum, quis non videat etiam, quòd si Mag. Thyrsus non requirat ad licitè operandum iudicium certum, sed fallibile, pro libertate adversus legem, omninò voluntariè, & sine ullo fundamento, exigit ultra, quòd illi appareat probabilius? Siquidem etiam potest falli; imò sæpiissimè fallimur, in prædicta apparentia maioris probabilitatis; & quàmvis verè hæc apparentia detur, non idèò ipsum iudicium infallibiliter est verum à parte rei, sed potest ad-

adhuc esse falsum, ut fateatur, & ipse Mag. Thyrsus in secunda Propositione sequenti, & nos satis probabimus in nostro opusculo, citatis locis, præcipuè quatuor prioribus Articulis.

13 Tertià Propositio secundæ huius tabellæ ait: *Quando inter Doctores Clasicos disputatur, an aliqua actio sit intrinsicè, mala, sive an sit licita, vel permessa; si post diligentem veritatis inquisitionem, citra passionem, & culpam, pars favens libertati appareat alicui clarè verisimilior, ità ut eam iudicet absolutè esse veram, & legi divinæ conformem, non peccabit ille, sequendo hanc partem; quàmvis contingat (nota benè) eam opinionem esse falsam, quia tunc habet ignorantiam probabilem excusantem, & transgressio legis erit tantum materialis.* De qua Propositione agit, dissert. 11. præsertim à pag. 178. ad 180. Nec contra illam etiam Nos aliquid habemus, cum potiùs nostram opinionem, & communem, confirmet, dum docet, non requiri opinionem, quàm sequimur in praxi, esse veram in re, sive speculativè, sed etiam si sit falsa, posse nos excusare, ob ignorantiam scilicet probabilem: hæc autem probabilitas etiam datur reverà in opinione, quæ sit minùs probabilis, & ut talis à nobis iudicetur inconspèctu probabilioris, ut vidimus in nostro opusculo ab articul. 5. cum sequentibus.

14 Tertià Propositio secundæ etiam tabellæ, hæc est: *Sententia affirmans (teu potiùs negans) non posse dare ignorantiam invincibilem, attinentis ad unamquemque, quàmvis probabilis sit; sententia tamen contraria est nobis probabilior, & absolutè vera appareat.* Pro qua Propositione refert se ipsum ad eandem dissert. 11. à pag. 180. ad 191. Cæterum ibi §. 5. num. 51. affirmat etiam, ad doctrinam Questionis principalis impertinenter se habere huiusmodi Propositionem, sive sententiam, quàm defendit, ut probabilioris: Undè nec Nos in nostro opusculo
quid



quid quàm de ea diximus. Nunc autem noto, quòd prædictam sententiam negativam probabilem appellat (etsi minùs) quàm tamen priùs dixerat damnatam esse ab Alexandro VIII. in eademmet dissert. 11. cap. 2. num. 5.

15 Quarta Propositio: *Vt quis licetè possit amplecti sententiam faventem libertati adversus legem, non est necesse, ut illa in se sit absolutè probabilior, seu ut sit communior inter Sapientes, sed satis est, quòd sit absolutè certò probabilis; & aliundè operanti post diligentem veritatis inquisitionem, momenta rationis pro illa parte, citra passionem, & culpam, ut deantur urgentiora momenta sententiæ contrariæ; quia tunc sententia illa, quæ in se est minùs probabilis in communi estimatione, relativè ad operantem est probabilior, &c.* De qua in toto opere, præsertim dissert. 13. à pag. 221. ad 222. & dissert. 4. pag. 71. §. 13. ac dissert. 41. pag. 178. cap. 3.

16 Contra eam autem, quo ad secundam partem (nam quo ad priorem vera est) nos etiam in hoc toto nostro opusculo, & præsertim art. 2. & 3. & art. 13. & 14. & 15. præcipuè num. 97. & art. etiam 17. à num. 131. & art. etiam 18. Sed addendum existimo, quòd in opusculo, scientèr tacui, id scilicèt, quòd Parens noster Bernardus, Epist. 87. num. 7. cuidam respondit, qui minime fidebat sibi in dictamine proprio, seu iudicio, & propterea reliquerat Officium Pastorale, quòd habebat, ut alteri subijceretur: *Et meritò (inquit) quia qui se sibi Magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* Additque: *Et quidem quid alij de se sentiant, ignoro; ego de me expertus sum, quòd dico.* Quarè ergo nos dumtaxat propriam, & non alienam opinionem (& si apud plures, & sapientes, imò absolutè verisimiliorem) sequi debeamus? penitus ignoro: Nam *Filantia, seu amor sui ipsius* (ait, & bene Jacobus Merlonus, in annot. prædictæ Epistolæ Bernard.

Patri) *magnus errorum artifex, in causis proprijs ferè mentem, & oculos homini subripit; facitque illum stultescere, & verum de rebus iudicium ammittere.* Videatur etiam idem P. Bernardus tom. 2. Serm. 3. de Resurrectione Domini, num. 4. & 5. Videantur etiam verba, quæ retulimus ex Mag. ipso Thyrio, in hoc opusculo, articul. 1. num. 3. sed specialitèr videantur P. Cornelius à Lapide super Ecclesiasticum, cap. 32. à num. 22. vsque ad 24. & cap. 37. à num. 7. & Proverb. cap. 3. num. 5. & Sanctus Franciscus de Salas, en el entretenim. 14.

17 Quinta, & vltima Propositio: *Quemadmodum Iudices in ferenda sententia possunt sequi sententiam minùs communem inter Doctores, si deprehendant illam esse magis fundatam, idest munitam validioribus fundamentis rationis, nunquàm possunt sequi sententiam minùs communem, & minùs fundatam; ità licèt operans possit sequi sententiam faventem libertati adversus legem, quæ sit minùs communis, si sit magis fundata, nunquàm tamen licebit ipsi sequi sententiam faventem libertati adversus legem, si sit minùs communis, minùsque fundata, quàm stans pro lege adversus libertatem.* De qua dissert. 13. à pag. 221. ad 222. & dissert. 4. à pag. 54. ad 56. & dissert. 10. pag. 163. num. 76. Cæterùm, neque prima pars huius Propositionis (sive suppositio) est absolutè, & vniuersalitèr vera, etiam in Iudicibus, qui in aliquibus casibus sequi possunt, & debent opinionem magis communem inter DD. quàmvis ipsis appareat minùs fundata, atque probabilis; tum ad vitandum scandalum; tum quia sæpè etiam contingit, & ipsis constat, quòd à Iudicibus, aut Tribunalibus Superioribus revocanda sit inferiorum sententia, quæ non fuit data iuxta communiorem opinionem Doctorum, quæ est in praxi apud illos. Videatur P. Thomas Sanchez in Summ. lib. 1. cap. 9. num. 47. Ubi etiam explicat rationem differentie inter Iudices, & alios (adhuc admissa prima parte, sive suppositione huius



ultima Propositionis Capitalis) videlicet, quia Index à Republica, aut Principe, ad hoc præcipue constituitur, ut secundum merita causæ, & iuxta suum proprium Iudicium, omnibus inspectis, eam per sententiam dirimat, atque adeo prout ipsi melius, & consentaneum videbitur: quod in alijs personis privatis non verificatur, nec quando ipsi operantur, nec quando consulunt, aut confitentur alios, ut communiter docent Authores explicantes Propositionem secundam ex damnatis ab Innocentio XI. quæ loquebatur de Iudicibus; videantur inter alios Mag. Lumbier, en la advertent. 5. num. 1727. & 1753. & Pater Torrecilla, en el tract. 1. de Matrim. Proposition 2. de Innocentio, conclus. 4. & 7. à num. 158. & novissimè, & melius P. Didacus de la Fuente Hurtado in sua Theologia reformata, dissert. 3. præcipue cap. 5. per totum, in quo notavit optimè num. 44. quod etiam Iudices possunt licite uti opinione minus probabili, atque minus communi, ac tuta, in directione suæ propriæ conscientiæ, sicut reliqui alij, & si non inferenda sententia iuridica de causis aliorum, atque in foro externo, ob diversitatem rationis assignatam.

18 Et addo ulterius, quod in omnium sententia; excipitur etiam in Iudicibus, Propositio secunda condemnata ad Innocentio XI. quando inter partes litigantium est vna in possessione rei controversæ, nam tunc favendum est illi, etiam iuxta opinionem minus communem, & probabilem, ob privilegium possessionis, cuius conditio est melior, iuxta Regulam Iuris. Ergo similiter favendum etiam semper est nostræ libertati, in casu scilicet Quæstionis principalis, in quo possessio stat pro illa. Denique videantur etiam dicta à nobis in hoc opusculo, art. 12. num. 83. & art. 13. sequenti per totum, quæ facile explicari possum ad comprobendam differentiam datam inter Iudices, & alios, ut legenti patebit.

10 Qui-

19 Quibus sic explicatis, atque citatis etiam locis in opusculo hoc nostro, iterum fateor, nihil omnino mihi occurrere, vtiliter addendum, ad plenissimam etiam impugnationem P. Thyrsi, & propterea non addo, quamvis facile possem, si repetere vellem, & sæpius inculcare eadem (vti supra notavi) aut etiam æstimare opus, non tam ex re, aut virtute, quam ex magnitudine molis.

20 Post hæc autem scripta, sed ante quam ad prælum mitterentur, ad manus meas venit novum opus, seu opusculum cuiusdam Theologi eiusdem Societatis (nomen enim non explicat) quod appellat *Synopsis Tractatus Theologici de recto usu opinionum probabilium*, à R. P. Thyrso Gonzalez, suo Præposito Generali. In quo per modum compendij, brevius omnia concinata, quæ latius ille edisserit; sed aliqua etiam addit quasi in confirmationem eorundem. Et nè fortasse aliquibus dicta Synopsis efficacius moveat, vel quia brevior, aut clarior, vel propter addita de novo in ea (& si pauca) visum fuit etiam mihi, breviter illam impugnare, quamvis eadem prorsus repetendo, aut ferè, quæ in alio nostro opusculo, & duplici Tabella etiam Propositionum Capitalium, superius explicuimus; ut locus non remaneat afferendi, quod omnia, quæ in favorem sententiæ

P. Thyrsi scripta sunt, saltem non impugnavimus. Videantur igitur sequentia.





NOTATIONES
IN SYNOPOSIM

TRACTATUS THEOLOGICI
R.P.M. Thyrsi Gonzalez de recto
vsu opinionum proba-
bilium.

PArraf. 2. num. 4. sic definit Author Synopsis, ex ipso P. Thyrso dissert. 1. num. 40. opinionem probabilem: *Est (inquit) illa, qua concipitur ob rationes, vel auctoritatem, talem praesentes apparentiam veritatis, & ob illas vir prudens, sine ulla precipitatione, & passione, iudicet rem esse veram, licet agnoscat non repugnare, quod sit falsa, quia videlicet medium assentiendi non est demonstrativum.* Ex qua definitione recte (ait dicta Synopsis) Praepositus Generalis (scilicet P. Thyrsus) arguit, seu infert, dissert. etiam 1. num. 17. licitum non esse sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam in occurso probabilioris, & tutioris; quia vir prudens, qui omnibus hinc inde consideratis, invenit maius fundamentum ad iudicandum actionem esse illicitam, quam ad iudicandum esse licitam, nequit hoc secundum prudentem sibi persuadere.

2. Caterum videantur dicta à nobis in opusculo parvo Examinis Theologici Probabiliorismi, art. 1. & 4. cum sequentibus, ubi probatur, non requiri, ut sit verè
pro

probabilis opinio aliqua, & ad praxim sufficiens, quod sit vera realiter, imò neque quod iudicet rem esse veram, quam dumtaxat ut verisimilem proponit ex gravi fundamento, etiam si possit esse falsa: quod instatur in ipsa opinione, etiam apparente manifestè probabiliori ipsi operanti, siquidem adhuc potest falli; uti contigit etiam P. Thyrso, qui mutavit sententiam, etiam circa hoc, quam ut probabiliozem iudicaverat antea per plures annos, ut fateatur ipse in introductione sui tractatus, num. 40. Magis ergo prudenter iudicabit, nunc etiam, si nullam opinionem probabilem (etsi apparentem sibi pro tunc probabiliozem) existimet ut veram, sed tantum verisimilem: *Opinio (inquit Parens, Bernardus, relatus à nobis in praedicto opusculo, num. 29.) sola verisimilitudine se tuetur.* Et post pauca: *Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quarit potius, quam apprehendit.* Et ulterius: *Et hoc sciendum (inquit) quia opinio, si habet assertionem, temeraria est.* Et concludit: *Opinio est quasi pro vero habere, quod falsum esse nescias.* Haec igitur est vera, & propria definitio opinionis probabilis, non alia P. Thyrsi.

3. Unde etiam falsum est, quod docet (ex Mag. ipso Thyrso) Author Synopsis, §. 3. num. 5. & 6. videlicet, quod dum opinio benigna favens libertati dicitur minus tuta, & sententia severa favens legi dicitur tutior; illud comparativum minus tuta, non significat illam opinionem esse in se positivè tutam; solum enim est positivè tuta in se, quando est vera; quando autem est falsa, est in se positivè intuta, utpotè quae contrariatur divinae legi re vera à parte rei. Falsum (inquit) est hoc, si *ly tuta* sumatur, ut sumi debet, nimirum formaliter, quantum ad securitatem conscientiae in ordine ad non peccandum. Nam aliter, nec etiam erit positivè tuta opinio probabilior, favens libertati, siquidem etiam potest esse falsa, & consequenter contra legem re vera à parte



rei. Dicitur ergo *minus tuta*, ob hoc periculum materia-
lis peccati, *tuta* verò absolutè, & positivè respectivè ad
peccatum formale: ut ipsemèt Mag. Thyrsus explicat de
opinione probabili, benigna tamen, & pro libertate.

4 Ad id autem, quòd addit, nimirùm eligentem opi-
nionem benignam minus ipsi probabilem, in occurſu pro-
babilioris, sive securioris stantis pro lege, peccare etiam
formaliter, quia (inquit) prudenter iudicare potest, &
debet, illam esse falsam, propter rationes præponderan-
tes oppositæ opinionis, quàm iudicat probabiliorem;
atque adeò scienter tunc transgreditur, & contemnit
divinam legem: Respondeo, negando assumptum, at-
que etiam eius probationem; quia solùm potest tunc
prædictam opinionem minus sibi probabilem iudicare
esse falsam probabiliter, & cum formidine (attentis fun-
damentis opinionis oppositæ probabilioris) non autem
absolutè, & certò, neque iudicio firmo, atque determina-
to; imò potiùs, attentis alijs fundamentis, & gravibus, pro
illa, potest probabiliter etiam iudicare veram, aut saltem
verisimilem, etsi minus quàm aliam: Hoc autem sufficit, ut
non peccet formaliter: de quo est præcipua controversia.

5 Ulterius, §. 4. n. 7. Author Synopsis explicat, & be-
nè, qualiter possit diversis modis sumi, sive intelligi opi-
nio aliqua comparativè ad aliam, *magis, vel minus probabi-*
lis; nimirùm, aut in se, & absolutè, aut respectivè ad com-
munitatem hominum, aut formaliter tantum respectu ip-
sius operantis. Cùm ergo, iuxta Aristotelem, probabilio-
ra sint illa, quæ à sapientibus probantur, sive approban-
tur, seu quæ videntur vera Sapientibus; illa opinio erit
probabilior in se, & respectu communitatis hominum,
quæ pluribus sapientibus, vel sapientia clarioribus viris
probatur, quia præsumitur etiam, maiora, vel fortio-
ra fundamenta rationis habere. Hæc omnia, & benè,
ut dixi, Author prædictus, in citato loco: Addit ta-
men

men non benè, num. sequenti 8. quòd licet sententiæ
communior inter sapientes, præsertim inter sapientia ma-
gis conspicuos, præsumatur esse magis fundata; fieri potest
ut respectu huius, vel illius hominis in particulari, cesset
illa præsumptio; nimirùm, si ille post diligens studium
etiam deprehendat fundamenta illius sententiæ commu-
nioris esse debilia, & invenit pro parte minus communi
rationem clarè validiorem; tunc enim sententiæ, quæ in se,
& apud communitatem hominum, est probabilior, respec-
tu tamen ipsius est minus probabilis, imò respectu ipsius
neque est probabilis, quia nec illi probatur, nec prudenter
probari potest; ut potè quia detexit debilitatem fundamē-
torum pro ea, quàm nõ detexerunt AA. eam defensantes.

6 Hoc tamen (inquam) ultimum non benè; quia
nullus homo sic fidere debet suæ sapientiæ, aut intel-
lectus sui acuminis, ut evidentia illi videantur, quæ post
longum etiam, & diligens studium, appareant ipsi ma-
nifesta, & clara, cum fallibilis sit, præcipuè in rebus ita
incertis; de quo latè in opusculo nostro examinis Theo-
logici, art. 4. cum sequentibus. Undè, & Parens Ber-
nardus, citato loco ibidem, num. 29. (post relata iam
verba etiam hic, supra num. 2.) *Multi (ait) suam opinio-*
nem intellectum (idest, scientiam) putaverunt, & errave-
runt. Non ergo certum, nec moraliter, nostrum iudi-
cium unquam reputare debemus, sed probabile tantum
ad summum, & fallibile; & consequenter, nec erroneum,
aut non probabile, contrarium; maximè tot, & tanto-
rum virorum sapientium, iudicio confirmatum, qui aliam
opinionem defendunt: Videantur specialiter in nostro
opusculo, quæ diximus art. 7. & 8. & quæ addidimus
etiam in secunda Tabella Propositionum Capitalium M.
Thyrsi, Proposit. 4.

7 Prætercà, quia sequeretur, nihil conducere ad
probabilitatem opinionum, autoritatem extrinsecam



Doctorum, quam tuncvis magnam, eas defendentura
ut veras: siquidem quilibet, eorum, attentis solum ratio-
nibus intrinsicis, ut à se excogitatis, sive reputatis, exi-
stimare potest improbabilem prorsus opinionem, quam
docent plures, atque gravissimi Doctores, & communi-
ter ideo probabilissima indicatur; quod absurdum vi-
detur, & contra mentem omnium, qui distinguunt du-
plicem istam probabilitatem (sive fundamenta illius)
extrinsecam nimirum, ex autoritate Doctorum, &
intrinsicam etiam, ex vi solum rationum in favorem
illius. Quamvis enim autoritas Doctorum ideo reddat
probabilem sententiam, quam defendunt, quia prae-
sumitur habuisse rationes etiam sufficientes, atque gra-
ves pro illa; hoc tamen semper debet iudicari, nisi aliun-
dè constet certò, vel ex diffinitione Ecclesiae, vel evi-
dèntia manifesta, contrarium; quod non contingit in
casu, de quo loquimur, in quo praecisè datur iudicium
hominis particularis, & dumtaxat probabile, etsi ipsi
probabilius; quod adhuc potest esse falsum.

8 Ex quo sequitur etiam, non benè ut veram, pro-
posuisse P. Thyrium in Frontispicio sui operis, quasi
praecipuam conclusionem, quam in §. 5. refert Author
Synopsis, videlicet: *Quod quis licitè possit sequi opi-
nionem probabilem faventem libertati adversus legem, omnino
necessarium est, & sufficit, quod post diligentem veritatis in-
quisitionem, ex sincero desiderio non offendendi Deum susceptam,
opinio illa ipsi appareat, & attenda ratione, & autoritate, vel
vniùs verisimilis, vel manifestè verisimilior, quam opposita
stans pro lege adversus libertatem; ac ut circo ab ipso iudicetur
vera iudicio absoluto, firmo, & non fluctuante.* Nam, ut inci-
piam ad hoc ultimum, quomodo potest coherere, quod
iudicium tantum probabile (etsi à me iudicatum proba-
bilius, sed non certum) sit absolutum, firmum, & non flu-
ctuans, de veritate ipsius talis opinionis. Videantur di-

cta à nobis in nostro opusculo, citato art. 11. & quae hic
nupèr dicebamus etiam supra num. 6. praecedenti. De in-
dè, quamvis hoc iudicium fiat à nobis, post diligentem veri-
tatis inquisitionem, ex sincero desiderio non offendendi Deum
susceptam (quod toties repetit Mag. Thyrius, & ex illo
etiam suus Compiler, sive Author Synopsis) adhuc
tamen non habet promissionem divinam, neque aliud
fundamentum certum, quod semper erit verum, sive
quod nunquam erit falsum, alias enim (ut dixi) non
dumtaxat probabile, seu probabilius foret, & de quo
solum loquimur. Videantur dicta etiam à nobis in no-
stro opusculo praedicto, art. 18. à num. 136. Quae ergo
erit opinio necessarium (etsi sufficiat) tale iudicium, de
maiore probabilitate opinionis, ad licitè sequendum
eam, si favet libertati, cum possit etiam esse falsum, &
non semel contingat, ut de se ipso fatetur P. Thyrius, ut
re tulimus supra hic, num. 2. sed ulterius videantur, quae
in opusculo nostro diximus art. 7. à num. 42. in quo
109 Prosequitur Synopsis Author, & in §. 6. refert,
& asserit damnatam esse, absolute, & simpliciter, à San-
ctissimo Papa Innocentio XI. sententiam affirmantem,
*Omni opinionem probabilem de honestate, vel licentia acri-
tatis (v. g. certi contractus) sufficere ad securitatem conscien-
tiae, quàmvis ipsi operanti appareat notabiliter minus verisim-
ilis, quàm opposita, & tutior; ita ut comparatò ad istam sit
solum tenuiter, & exigua illa operantis verisimilis.* Caeterum
hoc etiam est falsum, ut satis explicuimus in nostro opus-
culo, citato nupèr loco, nempe art. 7. à num. 45. &
propterea non repeto. Adhuc tamen concessio, quod
non sufficiat quaecumque probabilitas quamcumvis te-
nuis, ad licitè, & prudenter operandum, quocumque in
casu, sive in quavis materia, non inde sequitur, non suffi-
ficere saltem non ita tenuem probabilitatem, sed fun-
datam in gravi autoritate, atque ratione, iuxta om-
nium



nium existimationem, etsi opperanti appareat alia magis fortis, & idè opinio sua probabilior. Aliàs dicemus etiam, quòd nulla potest dari minùs probabilis opinio in quacumque materia, quæ non videatur tenuis, & exiguæ probabilis respectu iudicantis, contrariam, aliam ut probabilior: imò & (iuxta P. Thyrsium) etiam ut improbabilis debet reputari, sicuti & falsa, in occurfu probabilioris; & hoc firmo iudicio, & non fluctuante; quòd est valdè mirandum, & contra præceptum Sedis Apostolicæ, quæ in quibusdam materijs, sive controversijs, prohibet prorsùs, improbabilem dicere opinionem quàmcumque pro vtraque parte, etsi nobis appareat aliqua ex illis valdè probabilior; exempli gratia, in materia de auxilijs, scientia media, & alijs. Debemus ergo vtramque iudicare positivè probabilem, quàmvis vna earum videatur nobis probabilior.

10. Dices ex P. Thyrsio, & Authore Synopsis: Aliud esse opinionem esse verè probabilem absolutè, & in se; aliud respectivè ad illum, qui oppositam existimat multò magis probabilem. Primum concedunt de opinione etiam minùs probabili, si tamen habet fundamentum grave, & sufficiens, autoritatis, & rationis iuxta communem existimationem: & in hoc sensu tantum intelligenda est prohibitio illa Sedis Apostolicæ in aliquibus casibus, seu controversijs: Non autem in secunda consideratione, in qua dumtaxat sumitur opinio comparativè ad intellectum iudicantis oppositam manifestè probabilior; & consequentè iudicantis aliam reverà falsam, atque adè non probandam, seu probabilem, sed potius repellendam, & contrariam dumtaxat approbandam. Ità in pluribus locis, prædicti Authores, qui sæpijsimè hoc reperunt, tanquàm præcipuum suæ æquivocationis fundamentum. Sed videantur, quæ iam diximus supra hic, num. 6. & 7. & quæ etiam diximus in alijs

alijs locis citatis ibi ex alio nostro opusculo, de Examine Theologico, ne toties inculcemus eadem. Undè in vtroque sensu intelligenda est prohibitio, sive præceptum Sedis Apostolicæ in quavis simili materia incerta, qualis est, de qua loquimur, videlicet morali, & non de finita, nec evidenti, adhuc moralitèr, quo ad vtramque partem.

11. Ex quibus constat etiam, falsè prædictum P. Thyrsium (vbi refert Synopsis, §. 7. à num. 15.) existimasse, neque posse aliquem sequi opinionem faventem libertati contra legem, quando agnoscit habere tantum æqualia fundamenta cum opinione opposita stante pro lege: *Quia (inquit) tunc intellectus manet necessario dubius, quin possit iudicare, in qua parte sit veritas: In dubijs autem tutior pars est eligenda.* Undè infert postea, num. 17. sequenti: *Neque manere adhuc certò probabilem in tali casu prædictam opinionem, quia nequit intellectus prudentèr assentiri potius illi, quàm alteri, imò debet omninò suspendere iudicium de cuiuscumque illarum veritate, cum pro vtraque videat, aut appareant ipsi æqualia fundamenta, ità ut non inclinetur magis ad unam, quàm ad aliam.* Constat (inquam) ex dictis, hoc etiam esse falsum; cum opinio probabilis non sit talis ex eo, quòd vera sit aut iudicetur, sed tantum verisimilis, iuxta definitionem toties adductam ex Parente Bernardo, tum hic, supra num. 2. tum alijs locijs ex opusculo alio, ibidem recensitis; & consequentèr nec requiritur, quòd intellectus determinari possit ad iudicium de obiecto ipsius opinionis, sive de illius veritate, prout à parte rei, sed dumtaxat de eius verisimilitudine, ex vi nimis gravis fundamenti. Hoc autem simul potest dari pro vtraque parte etiam contraria; atque idè potest etiam simul vtraque opinio, & incomparatione alterius, dici, & esse verè, & certò probabilis: De quo latè in prædicto opusculo alio nostro, art. 4. cum sequent.



In hoc ergo consistit (ut sæpius etiam diximus) præcipua æquivocatio P. Thyrsi; quæ propterea est de novo ulterius rejicienda, seu potius detegenda. Itaque nemo habet, neque potest, determinatè iudicare veram, absolutè, & à parte rei, opinionem quamcumque, quantumvis illi appareat probabilissima, seu valde probabilior, etiam post diligentem veritatis inquisitionem, & sincero affectu, & desiderio Deum non offendendi: quia adhuc remanet occulta, & in certa prædicta veritas, dum neque evidens omnino, nec de Fide divina sit. Unde quantumvis etiam fundamenta pro illa, videantur esse mihi manifestè fortiora alijs pro opposita opinione, movere solum possunt, aut determinare intellectum meum, ad iudicandum eam esse verisimiliorem, seu probabilior, non autem veram absolutè, & in re; quia nec talia fundamenta hoc directè intendunt, aut saltem non suadent, nisi dumtaxat quo ad apparentiam, & cum formidine fallaciæ ipsorum. Quod explico, & confirmo, ex dictis, & probatis in opusculo alio Examinis Theologici, art. 4.º à num. 22. à paritate scilicet credibilitatis mysteriorum Fidei, quæ debet antecedere, non solum probabilis, sed etiam evidens, ad actum Fidei elicendum de prædictis mysterijs; etenim adhuc ista nequeunt iudicari in re existentia, imò neque etiam possibilia, sed tantum incredibilia, quia hoc solum convincunt, & intendunt rationes, sive fundamenta prædictæ credibilitatis; aliàs ex huius evidentia redderentur mysteria ipsa etiam evidentia, nec manerent obscura, & ut Fides necessario exigat, pro ut à scientia distinguitur. Eodem ergo modo, quæcumque fundamenta; quantumvis validissima mihi appareant pro aliqua opinione, si tamen tantum remanet probabilis, nequeunt obiectum eius reddere verum certò pro ut à parte rei, sed dumtaxat probabile, seu verisimile; & ad hoc tantum tendunt

dunt prædicta fundamenta, etsi videantur persuadere veritatem obiecti, seu potius opinionis. Sed dices, diversam valde esse rationem; nam credibilitas mysteriorum Fidei non respicit mysteria ipsa in particulari, neque de illis habet aliquod iudicium, an sint, vel non; sed tantum in communi, quòd Mysteria, quæ docet Fides, sint eo ipso credibilia; unde potius de ipsa Fide, quàm de mysterijs ipsis fertur tunc iudicium. At opinionum probabilitas respicit ipsas in particulari, & fundatur præcisè in apparentia earum veritatis ex vi rationum, atque authoritas id directè fundentium. Unde idem est iudicium de earum probabilitate, atque de earum veritate, non quidem certò, sed verisimiliter, cum aliqua formidine; in quo differat à scientia, & fide; sicut & à dubio purè suspensivo, propter determinationem iudicij, licet fluctuantis, & non omnino firmi. Contra hoc est tamen, quia quantumvis opinio ipsa directè tendat in obiectum suum per iudicium nimirum speculativum, & determinatum, & pro ut sic de illo affirmat verum apparere, ex vi fundamentorum id ipsum persuadentium, at iudicium aliud reflexum de ipsius opinionis probabilitate (quòd debet esse certum, & præcedere etiam ad praxim, ut sit licitum eam sequi in operatione) non respicit obiectum pro ut est à parte rei, sed dumtaxat in apparentia, ob dicta fundamenta, quæ non convincunt, nec necessitant, sed tantum reddunt verisimilem, & prudentè credibilem prædictam opinionem, sive (quòd idem est) certò, & verè probabilem; quidquid sit, an sit vera, aut illius obiectum à parte rei detur. Hoc autem sufficit, ut possit postea dari alterum iudicium reflexum etiam, atque certum, de licita nimirum operatione, iuxta illam; ut explicatum fuit in alio nostro opusculo, art. 3.º num. 16. & art. 9.º per



per totum, & communiter etiam docent reliqui Authores; imò ipse P. Thyrsus, qui suprà opinionem tantum probabilioris, & non certam, purat certum iudicium de licito in praxi vsu illius, vt constat: & de hoc præcipua est Quæstio.

15 Undè præterea infertur, se ipsum impugnare Mag. Thyrsus, imò & contradictoria dicere, cum (vt refert Synopsis, §. 8. num. 18.) ad vsu licitum opinionis benignæ, seu minùs tutæ, non sufficere solum iudicium reflexum de eius probabilitate, sed vterius requiri (& hoc sufficere) quòd post diligentem veritatis inquisitionem, citra passionem, & culpam, repræsentetur operanti in actu. verisimilior opposita; quia nimirum requiritur omninò iudicium etiam (saltem opinativum innocuè, & inculpabiliter conceptum) de eius veritate, quòd iudicium haberi nequit, aut concipi prudenter, nisi talis opinio repræsentetur etiam probabilior. Nam inquirò, an Mag. Thyrsus velit, tale iudicium de veritate ipsius opinionis, esse certum debere, an dumtaxat probabile? Hoc secundum affirmat expressè, vt vidimus, & ex sua sententia constat, cum neque opinio probabilior sit certa, vt talis; & hanc doceat sufficere. Ergo contra se ipsum asserit, dum omninò requirit iudicium firmum, & determinatum de veritate talis opinionis; & ait non sufficere de eius tantum probabilitate. Neque enim maior probabilitas facit veram, sed tantum verisimiliorem, in apparentia, talem opinionem. Videantur dicta, atque probata à nobis in opusculo nostro, art. 4. per totum, & in alijs tribus Articulis antecedentibus.

16 Rursus fallitur etiam P. Thyrsus in eo, quòd Synopsis refert, num. 19. sequenti; videlicet, ad licitè operandum, sive in negotio conscientie, idem faciendum esse ab omnibus, quando dubitatur, an sit, vel non sit

fit licita aliqua operatio, & pro vtraque parte sunt opiniones contrarie Doctorum, absolutè probabiles, quòd fit à Superiore quolibet in consultationibus negotiorum magni momenti, in quibus resolvere, & determinare debet, quid si agendum, auditis consultoribus; Neque enim attendere debet solum, quæ opinio habeat pro se plures Doctores, sive Consultores, sed quæ ipsi videatur pro se habere validiores rationes, etsi minorem numerum Consultorum, & hanc sequi debere. Sic ergo (inquit) quilibet privatus, inter tutiorem, aut minùs tutam opinionem, eam debet eligere, quæ ipsi appareat probabilior, ob fortiores rationes, licet minus communis sit inter Authores.

17 Fallitur (inquam) in hoc etiam; quia vt notavi in quinta, & vltima Propositione Capitali ex secunda Tabella eiusdem P. Thyrsi, non est eadem ratio, in negotio etiam conscientie, in omnibus hominibus ad licitè operandum in rebus dubijs, atque in certis; vt de iudicibus in speciali ibi explicuimus, & explicant communiter Authores, & videtur ita sensisse Sanctissimum etiam Papam Innocentium XI. dum solum prohibet in secunda Propositione ex damnatis ab ipso, quòd aliqui docebant, *Iudicem scilicet posse indicare iuxta opinionem minùs etiam probabilem*: non autem damnat absolutè de omnibus alijs: imò neque de ipsis iudicibus in ordine ad se ipsos, sive conscientiam propriam dirigendam, sed in foro exteriori tantum, sive in iudicando aliorum causas; hoc enim sonat propriè ibi verbum *indicare*; vt optimè notavit P. Didacus de la Fuente Hurtado, loco à nobis citato ibi. Eodem ergo modò potest dici de Superiore quolibet, si vt talis operetur, etsi non propriè, & rigorosè, vt Iudex, sed vt Gubernurator aliorum, sequi debere scilicet etiam, quòd probabilius sibi appareat, cum ad hoc quippè constituantur Iudex, & Superior;



non autem ut præcisè operetur sequendo aliorum opinionem, etsi probabilem: at in foro suæ conscientiæ, & ut sibi dumtaxat consulentes, ad licitè operandum, se habent ut reliqui privati, & sequi possunt opinionem etiam minùs probabilem: Videantur dicta ibi in nostro opusculo, citato loco.

18 Nec minùs fallitur Mag. Thyrsus in eo etiam, quòd vltèrius refert ex ipso Author Synopsis, num. 20. sequenti, nimirum, ad vsum licitum partis minùs tutæ in occurso tutioris, omninò requiri, quòd omnibus hinc indè consideratis pari illa in actu primò (sive speculativè) appareat operanti cum notorio excessu verisimilior opposita tutiore parte: aliàs (inquit) maneret anceps, & dubius, an res sit licita, an potiùs illicita, etiam si vtraque opinio appareret æquè, vel ferè, æquè verisimilis operanti: Extante autem hoc dubio, nequit formare vltimum dictamen conscientiæ prudens, quòd sibi liceat sequi in operando partem minùs tutam; quia nemo potest habere iudicium conscientiæ rectum cum assensu determinato, si dubitet in vniversum, vtrum illud, quòd vult facere, sit malum, an non: Ex dubio enim speculativo, & in communi, necessariò resultat dubium practicum, & in particulari; & dictamen practicum, & in particulari determinatum, necessariò tollit etiam dubium speculativum, & in communi, pro quo refert P. Gabrielem Vazquez, 1. 2. disp. 65. num. 2. Sed (ut dicebam) etiam in hoc fallitur; quia etsi ex stante dubio in vniversum, sive speculativo, & in communi, nequeat dari in particulari iudicium practicum directum, & determinatum de licita in re ipsa operatione (quòd solùm docet P. Vazquez) potest tamen dari aliud reflexum, certumq; iudicium de ipsa vera probabilitate vtriusque opinionis, & super hoc fundari postea aliud magis reflexum, & vltimum iudicium de licita elicientia operationis, hic, &

& nunc; in quo formalitèr consistit actus ipse conscientiæ: uti suprà explicabam in præsentì, num. 14. & instabam similiter contra ipsum P. Thyrsus, qui neque exigit iudicium certum speculativum, licèt probabilius, & tamen postea in praxi certum esse existimat, operationem esse licitam.

19 Itaque non est impossibilis, sive in compatibilis (ut putat P. Thyrsus, à Synopsi relatus, num. 21. & 22.), vterque hic actus, seu iudicium: *Ego quidem prudenter dubito, an hic contractus sit secundum se licitus, an illicitus; & tamen certus sum mihi, hic, & nunc, non esse illicitum, quàmvis nulla pro me sit specialis ratio, quæ me eximat à lege communi.* Rursus: *Quàmvis omnibus inspectis æquè mihi verisimile appareat, hunc contractum esse usurarium, ac apparet esse licitum; nihilominus censeo esse licitum, & non esse usurarium;* (videlicèt formalitèr, seu peccaminosè; quidquid sit materialitèr, & provt à parte rei) Nam ut toties iam diximus, & probabimus etiam in alio opusculo, art. 4. ad licitè operandum non requiritur veritas in opinione id affirmante, sed certa probabilitas, seu verisimilitudo ex gravi fundamento ut talis cognita; eo enim ipso potest suprà illam fundari alterum iudicium certum, & reflexum, de non obligatione legis, ex defectu nimirum sufficientis illius intimationis, seu promulgationis, & possessione etiam nostræ libertatis. Undè iam datur aliquid diversum, etsi non speciale alicuius, ad deponendum dubium practicum in vltimo hoc iudicio dirigente, quòd non datur in altero iudicio directo antecedente, sive speculativo, sive practico ex vi illius tantum concepto.

20 Quòd magis explico, & confirmo: Nam cum pro vtraque parte datur opinio tantum probabilis, seu verisimilis, nihil est certum provt à parte rei, & consequenter nihil affirmari potest, nisi cum dubio, seu formidine, etiam si vnà ex illis opinionibus videatur nobis longè
pro



Probabilior (iuxta dicta, & probata satis in alio nostro opusculo, art. 1. cum sequent.) At certum potest esse, utramque esse probabilem, ob fundamenta gravia, etsi non convincantia (& in hoc sensu, seu suppositione loquimur in presenti Quæstione principali.) Ergo etsi dubium sit. antecedens iudicium absolutum, de obiecto scilicet directo utriusque opinionis, tam in communi, quam in particulari, potest tamen aliud reflexum, & ultimum, iam explicatum, certum esse, & non dubium, quia fundatur in motivo certo, & diverso à motivis alijs verisimilibus duntaxat: Et hoc iudicium debet in quocumque operante præcedere ad operationem, ut licite operetur; aliàs enim se exponeret scienter periculo peccandi, si tantum altero iudicio probabilis duntaxat niteretur in praxi; ut communiter docent, qui propterea requirunt ultimum iudicium certum, per reflexionem scilicet iam explicatam: De quo videatur P. Moya 2. p. Selectarum in Appendice ad tract. 1. de opinione probabili, quæst. 8. & 9. contra Antonium Coelladei. Neque hoc negare potuit P. Thyrsus, uti refert Synopsis citatis num. 21. & 22. Cæterum fundat hoc iudicium ultimum reflexum in præmissis non ita certis, ut legenti patebit, siquidem fundat solum in opinione ipsa directa, si vera appareat probabilis; cum tamen adhuc possit esse falsa, ut sapientissimè diximus.

21 Sed videamus iam duo principia solidissima (nam ita appellat ea Author Synopsis, §. 9. num. 23. sequent.) quibus nititur P. Generalis ad suam defendendam sententiam, de obligatione scilicet sequendi semper in praxi opinionem, quæ antecedenter nobis appareat probabilior, omnibus inspectis absque passione, aut culpa. Primum refert Synopsis, §. 10. cuius titulus est: *Primum principium; quod nemo potest licite sequi sententiam minus tutam, quin prius prudenter iudicet esse veram;*

& legi Divina conformem. Deinde §. 11. sequenti, etiam in titulo, sic habet Synopsis: *Secundum principium; quod nemo possit prudenter assentire sententiæ minus tutæ, ut veræ, quin post diligentem veritatis inquisitionem, citra passionem, & culpam, illi antecedenter appareat magis verisimilis, quam opposita.* Cæterum quis non videat utrumque istud Principium, non solum non esse *solidissimum* (ut Synopsis appellat) sed potius fallacissimum, & in æquivocatione fundatum? Videantur dicta à nobis in opusculo alio, art. 4. & 9. contra 1. horum Principium; Ex quibus etiam sequitur, falsum esse suppositum in secundo Principio, nimirum posse iudicari, ut veram sententiam minus tutam, si duntaxat appareat verisimilior, seu probabilior, etiam ipsi operanti, & post diligentem veritatis inquisitionem, citra passionem, & culpam, non autem certa, nec moraliter, ut accidit cuicumque opinioni etiam verisimiliori; ut probamus latè in dicto opusculo, art. 1. 2. & 3.

22 Nec valet, quod refert ipsa Synopsis, citato §. 1. num. 24. in probationem à priori primi ex dictis Principijs: Quia cum opinio (inquit) hominum non sit prima regula nostrorum actuum, sed solum regula secundaria manifestans, & applicans nobis regulam primariam, nempe legem æternam, rationemque divinam; & cum regula secundaria eatenus sit bona regula, quatenus conformatur primariæ; sanè ut quis amplectatur opinionem faventem libertati, ut rectam regulam, debet iudicare, illam esse veram (quia solum per veritatem conformatur legi æternæ, seu regulæ primariæ.) Nam si iudicat esse falsam, eo ipso iudicat esse pravam, & distortam regulam secundariam; si dubitat, an sit vera, vel falsa, dubitat etiam, an sit prava, vel recta: Non potest autem (concludit) eam licite sequi in praxi, nisi ex persuasionem, quod sit recta regula; ergo



ergo neque etiam, nisi sibi persuadeat, saltim per iudicium opinativum, *illam esse veram*. Non tamen (inquam) valet hæc probatio; quia, ut satis explicuimus in alio opusculo, citatis locis, & præcipuè in art. 4. cum in rebus moralibus, & in certis non possit veritas certò reperiri, sed tantum probabiliter, consequitur, nec posse aliquem teneri ad eam inveniendam, ante quam operetur, sed sufficit prudentèr, imò, & certò, posse iudicare esse probabile, quòd asserit opinio illa, quàm sequitur, licèt in re fortè sit falsa: quòd potest etiam evenire, & frequentèr contingit, opinio, quæ nobis probabilior apparet, seu verisimilior, quòd expertum fuit etiam à Magistro ipso Thyrsò, ut fatetur, & nos retulimus ex illo, articul. 2. numer. 7. prædicti nostri opusculi.

23 In his igitur rebus ità in certis non requiritur etiam, quòd secundaria regula, ut sit recta, sit verà, seu conformis legi æternæ realitèr à parte rei (cùm hoc constare nequeat) sed quòd cum gravi fundamento iudicetur certò probabilis, seu verisimilis; alias non esset leve, & suave iugum Christum, ut ipse affirmavit, sed intolerabile onus, multis scrupulis expositum, ut satis explicuimus in prædicto alio opusculo, art. 15. à num. 114. Quare neque idè erit formalitèr distorta, aut prava ista secundaria regula, quàmvis in re sit falsa, & non conformis regulæ primariæ, si tamen sit certò, seu verisimilis; quidquid sit materialitèr, ob ignorantiam rei invincibilem; de quo etiam latè in nostro opusculo, in art. 12. & 13. quòd & fateri debet P. Thyrsus, qui non tutiorem, sed probabiliorè (etsi reverà falsam) iudicat esse rectam secundariam regulam, sive sufficientem ad vitandum peccatum. Undè patet solutio ad reliqua, quæ eo ipso refert Author Synopsis citatis, §. 3. 10. & 11.

24 Minùs valet, quòd addit P. Thyrsus, & refert Author Synopsis, §. 12. ubi intendit, quòd fundamentum à priori quo probamus sententiam nostram, de licita nimirum electione opinionis minùs probabilis, & tutæ, si tamen sit verè probabilis, enervatur omninò per Decretum Innocentij XI. damnantis inter alias, hanc Propositionem tertiam: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui; modo à probabilitatis finibus non exeatur, consisti, aliquid agimus, semper prudentèr agimus*. Namque (ait P. Thyrsus, aut Synopsis ex illo) etiam qui vitur opinione, exigue, aut tenuiter probabili, vitur opinione absolutè probabili, & contenta intra limites opinionis verè probabilis, aliàs non esset neque exigue, & tenuiter probabilis: Et tamen damnat Pontifex sententiam asserentem posse licitè vit illa. Ergo damnat similiter fundamentum prædictum nostræ sententiæ, videlicèt, quòd eo ipso; quòd aliqua opinio sit verè probabilis, prudentèr agimus iuxta eam operantes. Amplius ergo requiritur, nimirum (inquit Pater Thyrsus) quòd non solum opinio sit apud alios gravi fundamento nixa, & propterea probabilis; sed etiam apud ipsum, qui ea velit vit; quòd non semper contingit, imò potius sæpiissimè videtur tenue illi, quòd alijs grave apparet. Hoc igitur attendi debet, an operanti etiam sit grave, seu verisimilius, neque sufficit tantum absolutè esse tale, sicut apud reliquos Authores.

25 Hoc tamen (inquam) minùs adhuc valet; nam, ut vidimus etiam in alio nostro opusculo, art. 7. n. 15. non idè fuit damnata ab Innocentio XI. Propositio relata, ob rationem adductam à M. Thyrsò, sed (ut reliqui omnes explicuerunt) quia ità univèrsalitèr, seu *Generatim* loquebatur, ut nullum prorsus casum exceperet; cùm tamen certum sit, in aliquibus maiorem probabilitatem, imò,



& tutiorem opinionem, requiri ad licitè operandum, ob diversas materias; vel quia loquebatur dicta Propositio damnata de ità tenui, atque exigua probabilitate (*quàmvis tenui, aiebat*) quæ potius reputeretur nulla, aut levissima, & dubia etiam apud omnes: non autem si reverà, & communiter talis iudicaretur, quàmvis minus, quàm aliæ probabiles opiniones. Undè falsum est etiam, quòd Pontifex voluerit, tenuem vocari probabilitatem, quæ operanti videtur minor, quàmvis alijs Authoribus, pijs etiam, & doctis, videatur probabilior, aut æquè verisimilis; cum absolutè, & sine respectu ad ipsum operantem, loqueretur prædicta Propositio damnata, atque adeò etiam damnatio. Præter quàm quòd iudicium proprium operantis non habet privilegium reddendi verè à parte rei probabiliorem opinionem, quæ absolutè talis non est; imò magis timendum est proprium nostrum iudicium, propter dicta à nobis citato loco, num. 46. & 47. & in secunda etiam tabella Propositionum Capitalium Mag. Thyrsi, Proposi. 4. Ex quibus etiam constat, quàm fallacitè doceat id, quòd refert Synopsis, §. 13. sequenti num. 29. vt legenti patebit.

26 Sicuti etiam malè probat, aut explicat, in sequenti §. 14. num. 30. & 31. qualitè in sententia sui Præpositi Generalis, non sequeretur (vt nos contra illum arguimus) quòd onus, seu iugum Christi non esset leve, sed intolerabile: Quia dictus Præpositus (inquit Synopsis) non obligat ad investigandum, & comperendum, quænam sit absolutè, & in se probabilior opinio, sed tantum quænam ità operanti appareat, post factam ab eo diligentiam debitam ad inquirendam veritatem: omnes autem fateri debemus, neminem posse tuto conscientia exequi rem, de qua dubium aliquod illi occurrat, an sit mala, quin potius adhibeat sufficientem diligentiam ad cognoscendum, an sit prohibita, vel non
si vsq

si verò postea appareat illi vt verisimilior pars tutior, seu pro lege, durum non est, nec onus intolerabile, quòd non possit tunc sequi partem benignam faventem libertati contra præceptum. Hæc tamen explicatio (vt dicebam) malè etiam salvat sententiam P. Thyrsi ab inconvenienti prædicto, quòd contra ipsum nos urgemus; si enim (vt fatetur) esset onus intolerabile obligare nos semper ad investigandum, & comperendum, quænam sit absolutè, & in se probabilior opinio, vt licitè operemur eam tantum sequendo: quare non etiam erit similiter intolerabile onus, obligare nos semper ad investigandum, & comperendum, post factam debitam diligentiam, quænam nobis videatur manifestè opinio probabilior? Siquidem non minus difficile est vnum, quàm aliud, nec minus expositum multis etiam scrupulis; videantur dicta à nobis in alio nostro opusculo, ar. 15. num. 14. & art. etiam 17. num. 131. præter ea, quæ sæpius diximus de fallibilitate nostri proprii iudicij, cui ideo minus fidere debemus, vt nupèr supra etiam retulimus hic, num. 25. præterito, erga finem.

27 Ad aliud verò, quòd adducit, sive refert Synopsis, §. 15. videlicet, quòd non ex eo tantum, quòd opinio minus tuta sit, certò probabilis, sequitur esse secunram regulam pro omnibus, sed dumtaxat pro ijs, quibus illa meritò probatur, seu qui prudentèr iudicant esse veram: Respondeo, falsum esse assumptum, quia, vt probabi in art. 4. alterius nostri opusculi, ad licitè operandum non requiritur veritas opinionis, quàm sequimur, sed probabilitas dumtaxat, quæ talis sit reverà; aliàs, neque sufficeret, quòd mihi, aut alijs videatur probabilior, cum adhuc non sit certò vera, sed apparentèr magis verisimilis: Undè neque etiam ille, cui ità appareret, potest absolutè eam vt veram iudicare, neque oppositam etiam vt realitèr falsam, sed minus tantum veri-
Q3 simi.



similem; cum formidine tamen, an ipse etiam fallatur: Videantur ibi dicta. Ex quibus simul etiam constat, qualiter nullum speciale privilegium concedamus Authoribus cuiuscumque opinionis, siquidem solum quia probabilem, non quia veram, dicimus posse sequi licite quamcumque ex illis, quæ talis verè sit: hoc autem convenit utriusque, atque adeo non speciale alicui, neque illius Authoribus, sed commune ad omnes pios, & doctos, qui possunt eas reddere probabiles: Aut inquiri etiam à Mag. Thyrso, quis dedit operanti cuilibet, quantumvis pio, & docto, hoc privilegium, ut ex eo præcisè, quòd illi probabilius appareat, v.g. contractum aliquem esse licitum, possit tute illum celebrare? De quo videantur dicta à nobis in alio opusculo, art. 14. præcipue verò, num. 102. & 106.

28 Ulterius facile impugnatur etiam, quòd Synopsis sequenti, §. 16. ex eodem Præposito suo Generali, infert, nimirum de praxi eligendi opinionis iuxta illius principia: Iuxta quæ (inquit) non sufficit ad usum licitum opinionis minus tutæ, quòd quis illam sciat esse absolutè, & verè probabilem in se, ob fundamenta, quæ viris probis, & sapientibus visa sunt gravia, citra passionem, & culpam; quia stat quidem esse in se sic probabilem absolutè, & verè, & tamen operanti, & conferenti ipsius fundamenta cum fundamentis sententiæ oppositæ, & tutioris, illa apparere ei levia, & exigua: quo in casu, opinio minus tuta, quæ suis Authoribus fuit probabilis, non est probabilis operanti, cui ipsius fundamenta apparent debilia, & tenuia. Undè post Decretum Innocentij XI. (de quo supra hic num. 24.) iam videtur certum, ad usum licitum opinionis minus tutæ, non sufficere, quòd operans sciat, eam esse absolutè probabilem, sed requiri quòd sciat esse verè probabilem comparative etiam ad oppositam, videlicet tutio-

rem

rem. Ità Synopsis citato loco num. 35. Nihilominus postea num. 37. sequenti addit: quòd duo requiruntur ad usum licitum minus tutæ opinionis, nempe iudicium reflexum de eius certa probabilitate, & iudicium etiam directum de eius veritate; stare enim potest, quòd quis certò sciat, opinionem benignam esse certò probabilem, & tamen quòd prudenter iudicet esse falsam, ex alijs fundamentis ipsi apparentibus fortioribus; tunc autem non potest licite illa uti ne operetur contra propriam conscientiam: neque tamen propterea sufficit etiam, quòd quis iudicet, rem esse licitam, ob fundamenta, quæ ipsi apparent magna, nisi pariter sciat, hoc ipsum iudicare Authores aliquos graves, quorum opinio communiter censetur probabilis: eo enim ipso iudicat prudenter etiam, si hoc ipsum approbantem, non temerè, aut ex passione, sed ex pondere, & meritis rationum, moveri. Utrumque ergo requiritur ad severitatem conscientie.

29 Hæc autem (ut dicebam) facile ex dictis etiam impugnantur, ut consideranti cuilibet patebit: Cum enim (ut explicui satis in alio nostro opusculo, art. 7. per totum) possit opinio, etiam minus probabilis, reverà tamen absolutè probabilis, talis adhuc manere in conspectu, & comparatione oppositæ probabilioris; atque alias sufficiat vera probabilitas, ad licite operandum (ut late etiam probabimus prædicto opusculo, articul. 2. cum sequentibus) falsum est prorsus, ex eo solum, quòd operanti appareant vrgentiora fundamenta pro tutiore opinione, atque ideò hæc etiam probabilior, illi, alia fundamenta pro sententia benigna, non posse gravia, sed debilia, & tenuia necessario apparere, & consequenter comparatam etiam talem opinionem in Decreto Innocentij XI. ea uti prohibentis (etiam si verum esset, ità intelligendum absolutè tale Decretum; de quo supra

Q 2

cita-



citato num. 24.) deinde, si iudicium proprium operantis sic prævaleret contra Authores alios, pios, & doctos, ut eorum opinionem absolutè, & verè in se probabilem redderet prorsus debilem, & tenuem, & in praxi improbabilem, ad quid requiritur, quòd ultra iudicium proprium ipsius operantis, sit etiam probata ab alijs, sivè probabilis opinio, quæ operanti videtur vera, & probabilior? Vel si hoc requiritur ad securitatem conscientia: Ergo quia iudicium proprium est fallibile etiam, & temerè ex passione potest non verè iudicare. Quare igitur sequendum potius, quàm alienum absolutè probabile?

30 Deinde (omisso §. 17. in quo nihil notandum) videamus qualiter Synopsis, §. 18. sequenti explicet ex Mag. Thyrso, quid requiratur; ut opinio aliqua sit certò mihi probabilis? Opus est (inquit num. 41.) ut nitatur fundamento, quòd apud me sit magni momenti, & talem præferat verisimilitudinem, & apparentiam veritatis, ut certum sit, me posse prudenter, vel saltè irreprehensibilitè, illi assensum præbere, iudicando, iudicio absoluto, illam esse veram: quòd nunquàm potest esse certum, quin post diligentem veritatis inquisitionem, extra passionem, & culpam, opinio illa mihi proponatur ut unicè verisimilis, vel ut clarè, & notabiliter verisimilior, quàm opposita. Undè inter postea, num. 42. quòd ut quis tuta conscientia possit, vel in operando, vel in dandis Consilijs, sequi sententiam minus tutam, seu faventem libertati adversus legem, non satis est, quòd ille sciat, eam esse in se certò probabilem, idest defendi, ut veram ab Authoribus gravibus, post diligentem controversia discussionem, & sine fundamento aliquo suspicandi eos, vel rem non diligentèr examinasse, vel motos fuisse passione aliqua, vel desiderio placendi hominibus, sed potius iudicium tulisse,

ut decebat viros doctos, & sapientes; & idè etiam sciat talem opinionem communiter supponi esse probabilem etiam alijs, qui illam impugnant ut falsam, quin aliquis Author alicuius nominis illam traducat, ut improbabilem: sed requi ultra (ait) quòd post adhibitam etiam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, sententia illa citra omnem culpam appareat mihi notabiliter verisimilior sententia tutiore, & à me etiam prudenter, vel saltè inculpabiliter, iudicetur vera, iudicio absoluto, firmo, & non vacillante, sed omninò excludente prudentem timorem, ne fortè sit falsa; quidquid sit de formidine alia Logica, sivè non repugnantia, quòd in re possit esse falsa.

31 Sed quis non videat falli etiam nunc omninò, & reincidere, uti semper Reverendissimum Mag. Thyrsus in eandem prorsus æquivocationem, videlicet, requiri ad licitè operandum iudicium proprium, & directum ipsius operantis de veritate illius opinionis, quàm sequitur, sive ipsius obiecti, prout est à parte rei, nec sufficere reflexum aliud, quantumvis certum de illius probabilitate; de quo videantur sæpius dicta, & probata à nobis in alio opusculo, sed præcipuè in art. 4. & 9. & in art. 14. num. 102. & 106. & quæ etiam hic diximus, supra num. 25. in fine, & num. 27. Quare negandum etiam est, quòd retulimus nupèr, num. 30. præcedenti; ex Synopsi num. 42. scilicet non sufficere, ut quis tuta conscientia possit operari, aut Consulere alij, sequi sententiam minus tutam, etiam si sciat illam in se esse certò probabilem, & ab omnibus talem iudicari, nisi ipsi appareat etiam probabilior, sive notabiliter verisimilior, vel saltim vera, absoluto iudicio, & firmo, sive non vacillante: Nam inquirò, an propterea talis opinio sit reverà in se magis probabilis, aut vera? Et videantur à nobis dicta in alio etiam opusculo, art. 1. à num. 42.



ad 44. inclusivè, & art. etiam 17. à num. 131. & sequentibus.

32 Addit postea Synopsis, num. 19. ex eodem Mag. Thyrso, scilicet praxim magis in particulari eligendi opiniones probabiles, iuxta ipsius sententiam; quam vocat moderatam, seu mediam, quia neque requirit (sicut Authores rigidissimi) tutiorem semper eligi debere, neque permittit (sicut Nos) posse eligi opinionem minus probabilem, & minus tutam. Cæterum ex iam dictis constat etiam, quod licet possit quilibet, imò, & perfectius operetur, sequendo talem praxim, sicut sequendo semper tam tutiorem opinionem, non tamen debet, aut tenetur, ut latè etiam explicui in alio nostro opusculo, art. 17. & 18. & de hoc est questio tantum, seu præsens controversia principalis. Et instatur similiter contra ipsum Magistrum Thyrsum, qui non tutiorem, sed probabiliorem, etsi minus tutam, eligere permittit opinionem in praxi; cum tamen sit perfectius, semper eligere tutiorem. Undè etiam noto id, quod in alio nostro opusculo, art. 17. citato num. 130. ex Patre Moya expressè adverti, nempè quod licet per accidens in his rebus in certis, quia veritatem assequi non possumus, sufficiat qualibet opinio certò probabilis ad non peccandum, per se tantum, si possit inveniri regula tuta, inquirenda est opinio re ipsa vera: atque in hoc sensu tantum intelligenda sunt, quæ diximus in eodemmet opusculo, art. 4. *Veritatem nimirum non esse regulam in probabilibus ad honestè operandum*; idest, quando remanent adhuc probabilia, & in certa, non autem si inveniri possit veritas certò, ut est à parte rei, sicut contingit, vel in rebus Fidei Divinæ, vel per se evidentibus, aut moraliter saltem certis; quod non verificatur de opinione quàm tumvis operanti appareat valdè probabilior, ut latè ibi explicuimus, & art. antecedent. 1. & 2. & 3. dict. opusculi.

33 Quid autem sit dicendum de viro docto ab aliquo consulto, an scilicet teneatur respondere iuxta opinionem, quæ sibi appareat probabilior; an possit etiam respondere iuxta opinionem, quæ ut probabilis, aut probabilior defenditur ab alijs pijs etiam, & doctis, licet sibi videatur falsa, & minus probabilis? Primum probat Mag. Thyrsus, & rejicit secundum, ut refert Synopsis, art. 20. ex quo etiam probat, quod neque alij aliter se ipsos determinare possunt, ut licitè operentur ob eandemmet rationem, quia nimirum tunc eligerent ut licitum, quod absolutè iudicant illicitum. Contra hoc est tamen, quia in primis, diversa potest dari ratio inter Doctores respondentes alijs eos consulentibus, & inter quemlibet tantum se ipsum dirigentem, atque in foro conscientiæ: etenim primi, quando consuluntur ab alijs, se habent quasi iudices respectu illorum, in materia illa dubia, & idè ab eis consuluntur, ut dicant quid illis videtur verius, non quid alij Doctores sentiant, nec non; & consequenter id tenentur respondere, quod ipsi iudicant dumtaxat verius; at quisque in sui propria directione non est iudex, sed tantum quasi speculator de legis existentia, sive obligatione, ut ex indè cognoscat, quid possit, vel non possit licitè operari; & cum videat non esse certam obligationem legis, sed pro utraque parte opinionem probabilem reverà dari, etsi illi magis una, quàm altera repræsentetur uti probabilior, format iudicium alterum reflexum, quod hic, & nunc non obligatur ad observantiam legis, sed possit licitè quàm cumque sequi ex duabus illis opinionibus, vel ob privilegium de possessione suæ libertatis, vel ob ignorantiam invincibilem, quæ in tali casu datur; videantur supra dicta à nobis hic, num. 17. & alijs locis, ibi etiam citatis ex opusculo altero, & tabella 2. contra Propositiones Capitales Mag. Thyrsi, Propositione 5. & ultima.



34 Deindè negari potest primùm etiam quòd asserit Mag. Thyrsus, de homine nimirùm docto ab aliquo consulto; nam si consulens solùm ab illo quærat, an possit licitè operari, hoc, vel illud, de quo ipse dubitat; poterit illi respondere absolutè, quòd possit, si reverà est probabile, etsi consultus sentiat probabilius oppositum: siquidem non proindè illi mentitur (maximè autem, si sequitur sententiam nostram, & communem) & sic sæpijsimè contingit, quandò de dubio aliquo plures homines docti consuluntur, & omnes idem paritèr affirmant, (idest, esse securum, quia verè etiam probabile) etsi non omnes sentiant esse illud probabilius; sufficere enim putant, quòd sit verè probabile ad securitatem conscientia: ut accidit similiter in quæstionibus alijs speculativis, videlicèt Theologicis, aut Philosophicis, quæ tractantur in libris imprimendis; nam quàmvis eos approbantes ex mandato alicuius superioris non sint eiusdem opinionis, ac Authores librorum, imò oppositam iudicent veriorè, seu probabiliorè, non idèò tamen libros eorum reiiciunt, aut condemnant, sed potiùs positivè asserunt licere imprimi, & ab omnibus legi, si probabiles sint opiniones, quas continent, etsi ipsis falsè videantur; quia nimirùm falli etiam possunt ipsi, & forsalsè falluntur (videatur corollarium 13. in alio nostro opusculo) vndè nemo tenetur vnam potiùs, quàm aliam certò iudicare veram, & consequentèr neque potest prudentèr aliam iudicare falsam, sed dumtaxat minùs sibi probabilem, quòd est valdè diversum, & in quo P. Thyrsus continuò æquivocatur, dum idem putat esse iudicare aliquam opinionem probabiliorè, ac veram absolutè realitèr à parte rei, ut legenti ipsum patebit: Videantur tamen dicta à nobis in alio etiam opusculo locis sæpiùs citatis, specialitèr autem in art. 4. per totum, & art. 1. à num. 42. & art. 17. à num. 131. Ex quibus facilè impug-

pugnantur, quæ addit postea Synopsis, dicto §. 20. num. 50. sicut etiam, quæ ulterius repetit, §. 21. sequenti, quæ propterea non refero.

35 Negandum ergo est, hunc actum esse implicatorium (ut asserit Synopsis, citato loco in fine) videlicèt: *Ego quidem dubito, an actio A, sit secundum se illicita, & mihi verisimilius est esse illicitam, & tamen certus sum, quòd mihi illicita non est, quàmvis in me non ad sit specialis ratio, me eximens à lege communi prohibente eam actionem.* Quàmvis enim ex vi præcisè prioris actus speculativi, & dubij de tali actione A, an sit licita, vel illicita realitèr à parte rei, nequeat quis hic, & nunc determinari ad iudicandum esse in praxi (quòd verificatur etiam si hoc illi appareat probabilius, quia falli potest, & formidat adhuc) nihilominùs potest super hoc iudicium eo ipso quòd pro utraque sit verè probabile (nam in hoc casu loquimur, & non in dubio purè suspensivo) fundari aliud iudicium certum, & verum, seu reflexum, quòd lex protunc non obliget, de qua mihi non constat, imò probabilitèr iudicatur non dari, & consequentèr posse licitè etiam talem actionem operari, iuxta dicta sæpijsimè in alio nostro opusculo, præcipuè verò in art. 9. per totum, & art. etiam 12. Vndè hoc non procedit ex speciali aliqua ratione me eximente ab obligatione legis, sed ex communi cuilibet, qui non tenetur lege non certa imò probabilitèr non existente, atque adèò neque publicata sufficientèr ab obligandum, etiam si mihi probabilius appareat, verè dari, quia adhuc dubium manet, etsi non suspensivè, sed cum aliqua determinatione pro utraque parte, certò verisimili, licèt pro nulla certa quoad veritatem provt à parte rei.

36 Progreditur Synopsis, & in §. 22. refert sententiam Mag. Bartholomæi de Medina, super 12. D. Thomæ quæst. 19. art. 6. concl. 8. per hæc verba: *Sed mihi vi-*



detur quòd si mihi opinio est probabilis (etsi non probabilior) licitum est eam sequi. Quæ est nostra ipsissima, & communis sententia. Nihilominus addit Author Synopsis ex suo P. Generali, dissert. 13. num. 9. posse prædicta verba, etsi tam clara, habere commodam explicationem in favorem suæ sententiæ, nimirum (inquit) si intelligantur de opinione minùs probabili specificativè, & materialitèr, idest de minùs communi inter sapientes; non autem de opinione minùs probabili reduplicativè, & formalitèr, idest respectu ipsius operantis. Hæc tamen explicatio est omninò voluntaria, imò & violenta; nam Medina absolutè loquitur, & absque aliqua limitatione, nempè in eodem sensu, quo proposuit quæstionem, uti prius retulerat Author ipse Synopsis: Ex hoc (inquit Medina) magna nascitur quæstio, *utrum teneamur sequi opinionem probabiliorè, relictà probabili, an satis sit sequi opinionem probabilem?* Undè faretur postea Author ipsi Synopsis, posteriores omnes Theologos Medinam pro sententia nostra, non pro sua citare, & propterea eius fundamenta deinceps refert, & impugnat ipse; quibus magis constabit falsam esse, & violentam supra dictam explicationem: quàmvis nec etiam mihi videantur efficaces omnes rationes Medinæ.

37 Primam refert Synopsis, §. 23. n. 58. his verbis: *Nam opinio probabilis (inquit Medina) in speculativis ea est, quàm possumus sequi sine periculo erroris, & deceptionis: ergo opinio etiam probabilis in practicis ea est, quàm possumus sequi sine periculi peccandi.* Quàm rationem Synopsis putat probare potius suam oppositam sententiam; 1. quia antecedens falsum est, atque adeò ex illo inferri debet contraria consequentia. Neque in speculativis etiam potest Magistro absque deceptionis, & erroris periculo amplecti aliquam sententiam, quæ in actu primò illi magis apparet falsa, quàm vera, seu pro qua agnoscit maiora ar-

argumenta falsitatis, quàm veritatis: Undè neque potest licitè Magistro suis discipulis dictare ex Cathedra sententiam illam, quæ sibi non probatur, licèt sciat probari alijs, seu quàm iudicat esse falsam, quàmvis sciat ab alijs iudicari veram: ergo si valet paritas, idem dicendum est de quocumque in particulari provt operante, in practicis. Vel alitèr responderet etiam ad prædictam rationem Medinæ, num. 59. concedendo nimirum antecedens, & consequentiam, si sumantur, ut debent, in sensu, in quo sint vera; videlicèt, si opinio nobis appareat probabilior, dum non est magis tuta; nam si è converso tutior opinio mihi est probabilior, neque probabilis manet contraria opinio minùs tuta. Ergo absolutè iuxta istam operari non possumus, & sine periculo erroris, & deceptionis, tam in speculativis, quàm practicis; siquidem eo ipso prudentèr iudicare possumus, imò & debemus, falsam esse reverà illam opinionem minùs nobis probabilem, & minùs tutam.

38 Tota itaque fallacia argumenti (prosequitur Synopsis, num. 60. sequenti) desumitur ex falsa suppositione, qua laborat: supponit enim opinionem alienam minùs tutam manere absolutè probabilem respectu nostri, etiam si nobis proponatur ut minùs verisimilis, quàm contraria; quòd tamen est planè falsum, sicuti etiam, quòd opinio, quæ ut vera est propugnata à viris probis, & sapientibus, habeat eandem probabilitatem, seu verisimilitudinem respectu omnium, etiam illòrum, qui iudicant, vel prudentèr iudicare possunt, illam falsam esse, eo quod illius fundamenta apparent ipsis minùs verisimilia, quàm fundamenta sententiæ contrariæ. Opinio ergo, quæ probata est aliquibus viris sapientibus, solùm est probabilis respectu aliorum, in quorum intellectu, post diligentem veritatis inquisitionem, citra passionem, & culpam, habet eandem statum, quem



habet in intellectu suorum Authorum ; idest respectu illorum , quibus eius fundamenta apparuerint notabiliter maiora fundamentis sententiæ contrariæ ; quia ij possunt solum prudenter eam approbare ut veram. Vnde tota æquivocationis ; & fallaciæ ratio in Medina desumitur ex eo , quod consideravit probabilitatem quamdam absolutam , quæ sit recta regula omnium ; & quam omnes , in omni circumstantia , possint sine peccandi periculo sequi ; cum tamen probabilitas sit regula respectiva , quam aliqui solum in aliquibus circumstantiis possunt sine periculo peccandi sequi , nempe illi quibus probabilitas illa maior videtur , atque valde præponderans , probabilitati partis contrariæ ; & sic deinceps dicta Synopsis in eodem , §. Discurret.

39 Quam autem falsò , & cum maiori etiam æquivocatione , constat ex dictis , tum hic sæpius à num. 1. tum etiam in opusculo nostro priori , & locis citatis , tum denique in tabellis contra Propositiones Capitales. Respondeo ergo ad priorem impugnationem Medinæ (sive ipsius primæ rationis) quam retulit ex Synopsi , supra num. 37. quod si antecedens intelligeretur de periculo erroris , seu deceptionis , etiam materialiter , falsum esset reverà , & hoc quamvis opinio esset probabilior , quia adhuc potest esse falsa ; si autem ita intelligatur , uti voluit Medina , nempe formaliter , sive imprudenter , non est falsum , sed verum , quia movemur tunc ex gravi fundamento in re incerta , & occulta , & quæ sciri non potest , & consequenter non est obligatio sequendi , nisi quod apparet certò verisimile cum gravi fundamento , siquidem neque certò scire potest , quod sit probabilius reverà. Quod autem in Magistro ex Cathedra docente sit specialis obligatio dictandi , quæ ipsi apparent manifestè probabiliora , provenit ex suo munere , sive officio , uti diximus supra , loquendo in practicis de Prælati ;
aut

aut Superioribus , sive Iudicibus. Ad secundam impugnationem , sive responsionem ad eandem rationem Medinæ , similiter ex dictis constat , quam falsò fundamento nitatur , videlicet , quod si est opinio minus tuta , & non est etiam probabilior , non remanet neque probabilis in occurso tutioris , & probabilioris : De quo videantur dicta à nobis in alio opusculo , ab art. 5. usque ad 8. quibus non minus rejiciuntur etiam , quæ est Synopsis retulimus hic supra , n. 38. præcedenti , ut legenti patebit.

40 Secunda , & principalis ratio Medinæ sit proponitur ab Authore Synopsi , §. 24. num. 63. *Quia opinio probabilis ex eo dicitur probabilis , quod eam sequi possumus , sine reprehensione , & vituperatione. Ergo etiam licite. Antecedens probatur : Nam ea opinio dicitur , & est verè probabilis , quam asserunt viri sapientes , & confirmant optima , seu gravia verè fundamenta , quæ sequi non est imprudentia. Sed respondet Synopsis , num. 64. sequenti (sive potius Mag. Thyrsus , quem refert) distinguendo antecedens primum : Sempè , & in omni occurso rerum , nego : aliquando , nimirum aliquando nobis proponitur in eo statu , quem habuit , vel in mente suorum Authorum , quibus proposita est ut verisimilior opposita , concedo antecedens : Et sub eadem distinctione concedenda est (inquit) vel neganda consequentia. Peccat igitur argumentum (prosequitur P. Generalis) quia ex eo , quod opinio aliqua in aliqua circumstantia approbata sit ab aliquibus sapientibus , arguit posse approbari ab omnibus , & in omni occurso rerum : quod est arguere à singulari ad universale. Quæ autem sit illa circumstantia specialis , in qua solum possit iudicari probabilis opinio aliqua , est , quando apparet nobis probabilior , seu vera , sicut apparuit viris illis sapientibus , qui eam idè approbarunt : ex eo tamen non sequitur , quod ego , aut alij ita iudicemus , imò potius oppositum , ob urgentiora nobis fundamenta.*



41 Videantur tamen dicta à nobis in alio opusculo, art. 5. vsque ad 7. præcipuè, num. 44. vbi explicatur factis fallacia, qua laborat etiam quantum ad hoc, prædictus P. Generalis, & ex qua etiam procedit ferè omnis alia æquivocatio sæpijsimè notata. Quare enim non sufficiat, quòd alijs viris doctis, & pijs, hinc, indè, omnibus inspectis, videatur vera, aut probabilior aliqua opinio, vt etiam mihi appareat saltem probabilis reverà, etsi minùs, quàm altera, quæ mihi apparet probabilior? Cùm non timeam, me falli potius, sicut possum? Cùm omnes de re in certa, & nulli certa iudicemus. Videantur dicta etiam à nobis in alio opusculo, art. 8. præcipuè num. 63. Deindè in eo num. 64. refert Synopsis, propè finem ex eodem suo Generali, quòd in sensu Aristotelis, tunc opinio minùs tuta erit probabilis: *Quando vel omnes sapientes, vel plurimi, vel maximè noti, & illustres illam tenent, quia tunc quilibet potest iudicare rem esse licitam.* Inquiro ergo, àn sententiam communem (de qua nunc controvertimus) de licita nimirum operatione, in praxi iuxta opinionem etiam si minùs tutam, atque minus nobis probabilem, dùm tamen absolutè sit vere probabilis, defendant pauci, vel minùs illustres Doctores, àn potius plures, imò & plurimi, maximè noti, ac illustriores? Et cum hoc secundum sit certum, fateri debet P. Thyrsus, prudenter quemlibet posse iuxta eam operari in praxi, nisi in consequenter loquatur. Videantur Colloria 7. & 9. & 17. in alio nostro opusculo.

42 Tertiam rationem Medinæ sic proponit Synopsis, §. 25. num. 65. *Opinio probabilis est conformis rectæ rationi, & existimationi virorum sapientium, & prudentium: Ergo eam sequi non est peccatum: consequentia est evidens, & probatur antecedens: Nam si est contra rationem, opinio probabilis non est, sed error manifestarius.* Ad quàm tamen

men rationem sic respondet Synopsis, distinguendo scilicet antecedens: *Opinio probabilis est conformis rectæ rationi, &c. si sit vera, & prudenter, atque post maturam considerationem, iudicetur vera; Concedo antecedens; si sit falsa, vel præcipitantly, & sine debita discussione, & diligenti examine iudicetur vera, nego antecedens.* Nam opinio (inquit) falsa non est conformis rectæ rationi, sed contraria; licet autem sit vera, si concipitur temerè, & sine debita consideratione, non est opinio probabilis, quia solùm casualitè non autem secundum regulas prudentiæ assequitur veritatem. Et similiter consequens (nimirum, *ergo eam sequi non est peccatum*) distinguit, si sit vera, & prudenter iudicetur vera; concedo consequentiam: si sit falsa, sub distingo; si sit falsa, & prudenter iudicetur falsa; nego consequentiam: si sit falsa, & tamen sine imprudentia, & sine temeritate inculpabiliter iudicetur vera, quia eius fundamenta post diligentem veritatis discussionem apparent præheminentia fundamentis contrarijs, concedo consequentiam. Ità dicta Synopsis.

43 In quibus præter sæpius notata, & impugnata à nobis videntur mihi aliqua, non solùm falsa, sed neque sibi ipsi coherentia: si enim idè sola opinio vera, est conformis rectæ rationi, quia (vt inquit) *rectitudo rationis est veritas.* Ergo cum neque opinio nobis apparens probabilior sit certò vera, sed possit esse, imò & sæpè, sit falsa, non erit etiam conformis rectæ rationi, saltem certò, & consequenter nec certò erit regula morum excusans à peccato: Siquidem (vt eadem Synopsis addit) *opinio hominum, que approbat vt licitum, quòd ratio aeterna Dei reprobat vt illicitum, non est conformis rectæ rationi, sed contraria.* Hæc igitur solutio, sive distinctio antecedentis non est conformis sententiæ sui Patris



tris Generalis, quàm defendit, imò potiùs opposita.

44 Eodem modò in distinctione etiam consequentis, contrarium asserit, quòd defendere intendit: nam in secunda parte sub distinctionis illius, sit ait: *Si sit falsa* (videlicet opinio) *& tamen sine imprudentia, & sine temeritate inculpabiliter iudicatur vera, &c.* Concedo consequentiam, idest non esse peccatum eam sequi (quòd erat consequens) tunc sic: ergo licet opinio non sit vera, fit tamen prudenter, & sine temeritate inculpabiliter iudicetur vera, non est peccatum eam sequi. At oppositum docuit Synopsis, in distinctione primi antecedentis Medinæ, scilicet, *Opinio probabilis est conformis rectæ rationi, &c.* Sic namque illud distinguit Author Synopsis, *Si sint vera, & prudenter ac post maturam considerationem iudicetur vera, concedo: si sit falsa, vel precipitanter, & sine debita defensione, & diligenti examine, iudicetur vera, nego antecedens.* En quomodò Author Synopsis in priore parte huius suæ distinctionis absolutè requirit, quòd opinio sit vera, *& talis iudicetur prudenter*; & similiter in posteriore parte, *Quòd non sit falsa, vel precipitanter, & sine debita defensione iudicetur vera.* Ergo non sufficit, quòd sine imprudentia, & sine temeritate inculpabiliter iudicetur vera, si in re talis non est: Aut si sufficit; quare ad hoc requiratur, quòd nobis ita appareat probabilius, si alijs viris doctis, & pijs (non inferioris numeri, imò aliquando maioris) oppositum appareat verius, seu verisimilius? Remanet ergo saltem, quòd veritas in re non requiratur in opinione probabilis ad licitè sequendum eam; aut si requiratur, non sufficit etiam si ut probabilior mihi appareat, si reverà ego fallor, ut possum, & contingit sæpius. Videantur dicta in iam sæpijsimè citato art. 4. cum sequenti, nostri opusculi alterius.

45 Quòd amplius confirmatur ex his, quæ postea addit

addit idem Author Synopsis, num. immediatè sequenti 65. ubi ita ait: *Quare* quando dantur duæ opiniones probabiles inter se oppositæ, utraque in existimatione virorum prudentium est conformis rectæ rationi, quia utraque à suis Authoribus probabiliter iudicatur vera; & cum altera ex illis debeat esse falsa, & una sola possit esse vera, una sola ex illis est in re conformis rectæ rationi, altera autem solum apparenter, & in existimatione eorum ita iudicantium; quæ existimatio, si sit inculpabilis, excusat à culpa actionem, quæ ex illo errore fit contra legem, & contra rectam rationem æternam Dei; si sit culpabilis, non excusat; sic ibi Author Synopsis, & num. 66. sequent. *Quòd autem* addit Medina (nimirum) *quòd si est contra rationem non est opinio probabilis, sed error manifestarius, est falsum, quia potest in re esse contra rationem, & tamen inculpabiliter iudicari vera, & conformis rectæ rationi: tunc autem licet sit error, non est error manifestarius, sed error occultus, & inculpabiliter ignoratus.* Hucusque Author Synopsis; quæ vera omninò sunt, sed non conformia suæ propriæ sententiæ, sive sui Præpositi Generalis; ad quid enim requireretur, quòd non solum opinio, sit absolutè probabilis (aut alijs probabilior) sed ulterius quòd operanti manifestè videatur etiam probabilior? Siquidem non requiratur (ut nunc ait Synopsis) quòd re ipsa sit vera, sed etiam cum errore, si tamen sit occultus, & inculpabiliter ignoratus. Dices, ut saltem iudicetur vera ab ipso operante. Hoc autem, ad quid etiam? Siquidem etsi falsa, potest licitè eam sequi; falsa autem potest esse in re, quàmvis videatur illi probabilior: Videatur rursus iam citatus, art. 4. ex alio nostro opusculo, ubi probamus satis, non posse ideò quemquam iudicare veram, sed tantum verisimilem opinionem quamcumque, & consequenter neque requiri, quòd veram eam iudicet.



46 Undè fallitur etiam Author Synopsis (aut suus P. Generalis) in eo, quòd ulterius, num. 69. arguit contra responsionem Medinae ad quàmdam obiectionem sibi ipsi ab eo oppositam; nam supponit (ait Synopsis) opinionem alienam minùs tutam, quæ operanti apparet, minùs verisimilis, quàm opinio tutior, manere absolutè probabilem respectu operantis; quòd est tamen planè falsum, quia tunc non potest approbare illam *ut veram*, &c. Fallitur (inquam) in hoc etiam Synopsis, nam ut maneat probabilis opinio aliqua respectu etiam operantis, sufficit, posse iudicare eam verisimilem tantùm ex gravi fundamento, etsi ipsi minùs forti, quàm aliud pro contraria; dùm tamen hoc non sit convincens, sed reddat illam solùm verisimiliorem: de quo specialitè in alio nostro opusculo, ab art. 5. cum sequentibus. Quare etiam adhuc magis fallitur Author Synopsis in eo, quòd in fine prædicti, num. 69. addit, videlicèt, quòd tunc de opinione contraria, seu magis tuta, iudicat operans, non solum conformiorem esse rectæ rationi, sed esse vnicè conformem, quia iudicat illam vnicè esse veram, vel saltem hoc solum potest tunc iudicari: Si namque solum illi appareat ut probabilior, & non ut certa reverà à parte rei (nam in hoc casu loquimur) cum vera, & non dumtaxat ut verisimilior iudicari tunc debet? Quòd namque sit magis tuta, reddit eam magis securam ad licitè sequendum eam absque periculo peccati etiam materialis, non tamen magis veram in re; quòd est valdè diversum, & maximè in sententia eiusdem P. Thyrsi, qui non requirit minùs tutam esse debere certam, sed probabilior, ut licitè eligatur. Ex quibus etiam constat solutio, seu potius impugnatio eorum, quæ Synopsis docet, num. 70. & in alijs duobus sequentibus; contra quæ etiam videantur dicta à nobis in alio nostro opusculo, art. 9.

47 Brevitèr postea Author Synopsis refert, & soluit, num. 73. quartam aliam rationem Medinae pro sententia communi, videlicèt: *Licitum est opinionem probabilem in scholis docere, & proponere. Ergo licitum est eam consulere. Confirmatur, nam licitum est interius assentiri huic conclusioni: Ergo licitum est exterius eam proponere.* Quæ ratio ut sic proposita, nec mihi probatur; ceterùm non ex eo, quòd adducit Synopsis ex suo P. Generali, in eius solutionem, in qua semper insistit, quòd debeat scilicèt esse probabilior, & non tantum minùs probabilis opinio aliqua, ut verificentur de illa, quæ asserit Medina in hac quarta Ratione: sed quoad priorem partem eius, de docente nimirùm in scholis, aut extra consulente, propter eorum specialem obligationem, ex proprio suo munere, quòd tunc exercent; ut supra hic iam notavimus, num. 34. exemplo iudicum, aut superiorum. Quoad posteriorem autem partem, sive potius confirmationem huiusmodi Rationis Medinae, displicèt nobis idè etiam, quia ut sæpijssimè diximus, non est necesse interius assentiri opinioni alicui tanquàm à parte rei veræ, ut in praxi etiam liceat iuxta illam operari; sed sufficit, ut eam certò iudicemus verè, etsi minùs, nobis probabilem. Et in hoc sensu putò, quòd loquitur Medina, & in eo approbanda est eius prædicta confirmatio.

NOTATIO XV.

Quinta Ratio Medinae, in qua de Confessarijs.

48 **D**urius videtur, quòd in solutione 5. Rationis Medinae docet Author Synopsis, num. 74. Negat enim, quòd Medina assererat, seu potius supponebat ut doctrinam communem, videlicèt: *Non posse confessarium cogere pœnitentem ad sequendam opi-*



tionem probabiliorem; quia scit, vel scire debet, quod pœnitens in tali casu non peccat: Eo autem ipso neque illi potest absolutionem denegare. Ad quod Author Synopsis respondet; quod si pœnitens accedat ad pedes confessarij cum proposito non abstinendi, v.g. à certò contractu, qui secundùm sententiam probabilem, & ipsi pœnitenti verisimiliorem, est illicitus, & hoc etiam videtur confessario, non poterit tunc iste talem pœnitentem absolvere, quia accedit cum animo faciendi, quod iudicat, aut prudenter potest iudicare, esse illicitum; atque etiam ipse confessarius. Cæterùm videantur dicta a nobis loco nuper citato, supra num. scilicet 46. ex alio nostro opusculo, art. 9. ubi distinximus, & explicuimus, cum communi sententia (etiam ipsius P. Thyrsi) duplex iudicium, quod præcedere debet ad quamlibet operationem moralem in praxi, vt licitè eliciatur; primùm directum, atque speculativum de ipsa opinione, absolutè, & secundùm se, sive de eius obiecto provt est ab ipsa iudicatum verum (namirùm probabiliter, aut probabilius) aliud autem reflexum, & fundatum in ipsa certa probabilitate utriusque opinionis, pro utraque parte, magis quidem, & minus, iuxtà diversos intellectus. Hoc ergo ipso potest ad praxim aliud tertium iudicium, & omninò certum, formari, atque fundari in quàmvis opinione ex illis, iuxtà sententiam nostram, & communem tot virorum sapientium, quàm pœnitens, & confessarius iudicant probabiliorem, aut iudicare prudenter debent; (quid quid dicat Magister Thyrsus) & consequenter non peccabit pœnitens, si operetur iuxtà quàmcumque, quippè certò probabilem, etiam si vnam minùs tutam, realitèr, seu materialitèr; ergo neque confessarius poterit illi absolutionem denegare. Videantur dicta supra, atque relata à nobis ex Authore Synopsis, in hoc ultimo opusculo, num. 45.

49 Solùm ergo erit verum, quod confessarius potest, imò & debet, denegare absolutionem pœnitenti, quando iste sequeretur etiam sententiam P. Thyrsi, de obligatione scilicet semper eligendi, & sequendi opinionem, quæ ipsi probabilior apparet; quia tunc si illam non sequitur, nec abstinere vult ab opere, quod probabilius iudicat esse contra legem, atque reverà illicitum, peccaret, quia operaretur eo ipso contra legem formalitèr, etsi ex conscientia erronea (si fortè falleretur in prædicto iudicio, vt potest) sicut è contra etiam, si id quod est reverà, & in se bonum, atque legi conforme, indicaret operans vt probabilius, esse malum in re, atque legi contrarium, teneretur ab eo abstinere omninò, etsi iudicium antecedens falsum esset reverà; de quo videatur D. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 5. in corpore, erga medium, & cum eo communiter Authores, qui docent, obligare conscientiam etsi erroneam, sive iudicium falsum antecedens, existimatum tamen verum. In nostra autem sententia, & communi, nulla opinio, etsi probabilior videatur operanti, obligat ad operationem, si sit etiam probabilis contraria opinio; & consequenter poterit quicumque, quàmcumque earum sequi licitè absque culpa; atque adedè nequit confessarius absolutionem denegare pœnitenti iuxtà eam operanti, quàm tumvis ipse confessarius iudicet veram, seu probabiliorem sententiam Patris Thyrsi; cum confessarius debeat iudicare iuxtà dispositionem pœnitentis (quæ in tali casu bona est, & sine peccato) non autem iuxtà suam sententiam, quæ ipsi soli est regula, non alijs, iuxtà etiam Patrem Thyrsium, vt refert Synopsis, num. 75. ultra medium.

50 Quod magis adhuc confirmatur ex his etiam, quæ addit num. 76. sequenti, atque ex eodem P. Thyrsio, qui docet: *Quod quando opinio confessarij est paucorum*



opinio autem poenitentis est multorum, graviumque Doctorum, communiter loquendo posse confessarium proprium iudicium deponere, & se conformare cum iudicio communi Doctorum, quos sequitur poenitens, illumque absolvere. Quæro ergo nunc à P. Thyrso, quæ sententia est communior, & plurium, graviumque Doctorum, sua, an nostra, in præsentia materia? Ergo tenetur confessarius quilibet, cuiuscumque sententiæ sit (etiam P. Thyrsi, & cum eadem firmitate, seu tenacitate, ac ille) deponere iudicium proprium, & absolvere poenitentem oppositam sententiam communioris sequentem, tot, & tantorum virorum, graviumque Doctorum. Nec aliud credam facere, aut fecisse Mag. Thyrsum, cum in suis Missionibus ferè innumera-biles confiteretur, & absolveret, ex quavis opinione, ingenti fructu, profectuque animarum: etiam postquam prædictus Author hanc opinionem novitè defendit, relicta alia communi, quàm usque ad annum 1670. probabilioris iudicabat: de quo in Proæmio alterius nostri opusculi.

51 Ex quibus constat, etiam falsum esse, quòd asserit in eodem, num. 76. Author Synopsis ex suo P. Generali, videlicet, quòd quando opinio confessarii est in se probabilior, seu communior inter Authores clasicos, & aliundè ille etiam iudicat esse veram, ob fundamenta rationis, quæ ipsi videntur manifestè urgentiora omnibus rationibus, quibus nititur poenitentis opinio; tunc non potest absolvere poenitentem, quàmvis ille bona fide amplexus fuerit sententiam contrariam, nisi prius eum illuminet, aperiendo illi falsitatem benignæ sententiæ, quàm sequitur, & veritatem sententiæ severioris contrariæ ipsius confessarii, & poenitens acquiescere velit; si enim nolit, sed persistere adhuc in sua propria sententia, dicens esse probabilem, hoc ipso confessarius cognoscit poenitentem non esse rectè dispositam, siquidem

dem bona fide non operatur, sequendo suam opinionem, quàm iudicare debet esse falsam, ex persuasione confessarii.

52 Constat, inquam, ex dictis hoc etiam falsum esse, cum neque requiratur veritas in opinione ad licitè sequendum illam, sed sufficiat tantum esse certò probabilem; aliàs nec sufficeret quòd operanti appareat probabilior, siquidem adhuc potest esse falsa: Ergo neque tenetur poenitens credere veram esse opinionem confessarii (quàmvis ipsi appareat probabilior, imò illud persuadeat etiam ipsi poenitenti, sed tantum verisimiliorem. Eo autem ipso sufficit etiam esse certò probabilem, ut in toto alio opusculo, & in hoc etiam, & duplici tabella Propositionum Capitalium, sæpius probabimus, atque explicuimus, nam de hoc est quæstio principalis, & tota nostra controversia: Undè miror Mag. Thyrsum tam confidentèr semper loqui de suo proprio iudicio, aut alterius cuiusque sive confessarii circa veritatem opinionis, quàm putant sibi verisimiliorem, ità ut etiam velit, poenitentes, aut alios teneri illam veram iudicare, aut si nolint, peccare, nec absolvi posse: Videantur dicta à nobis in Propositione 4. Capitali secundæ Tabellæ.

53 Neque valet ratio à priori, quàm num. 77. addit Author Synopsis, ut probet, quare confessarius nequeat contra suam propriam opinionem poenitentem absolvere; quæ sumitur (inquit) ex natura Sacramenti Poenitentiae; nam, ut constat ex Tridentino, sess. 24. cap. 6. absolutio est ad instar actus iudicialis, quo à Sacerdote, veluti a iudice, sententia pronuntiatur: Iudex autem non potest proferrè sententiam (etiam absolutio-nis Rei) iuxta opinionem, quàm ipse iudicat esse falsam, sed iuxta suam propriam opinionem: Nam quàmvis litigans habeat sententiam probabilem, quòd Maiora-

tus,



tus, v. g. ad se pertineat; si tamen iudex oppositum indicet verum, nequit ei Maioratum ad iudicare, sed eius competitori: Ergo Sacerdos etiam nequit proferre sententiam iuxta opinionem poenitentis contra suam propriam. Undè tamen si poenitens ex opinione probabili iudicet rem aliquam ad se attinere, ac proinde se non esse obligatum illam restituere Petro; si tamen confessor doctus, re maturè perpensa, iudicat poenitentem falli, nequit illum absolvere, nisi proponat restituere.

54 Quòd confirmat, & explicat: Quia quàmvis confessor (inquit) debeat credere poenitenti in ijs, quæ ad eum, vt poenitens est, attinent, nempe in quæstione facti, àn commiserit, vel non commiserit talia, vel talia crimina, cum his, vel cum illis circumstantijs; non tamen debet credere poenitenti in ijs, quæ ad ipsum, vt poenitens est, non attinent, nempe in quæstione iuris, àn scilicèt detur, vel non detur obligatio restituendi; àn talis actio sit, vel non sit peccatum mortale; sed potius ipse poenitens debet credere confessario in ijs, ad quem spectat harum rerum cognitio: alioqui, ad rectè obeundum munus suum, non esset necessaria confessario harum rerum scientia, sed posset illud rectè obire, stando, nempe iudicio soli poenitentis; quòd concedi non debet, quia de dispositione poenitentis, àn sit legitima, non debet iudicare ipse, sed iudex, sive confessarius, qui profert sententiam: Ità concludit Author Synopsis, num. 78.

55 Sed (vt dixi) nihil valet ista ratio à priori: Nam licèt confessarius in Sacramento Poenitentiae sit Iudex, non tamen debet iudicare iuxta propriam suam conscientiam, sed tantùm poenitentis, qui in tali foro interno est testis, Accusator, & Reus: Undè quòd iste peccet, aut non peccet, sive peccaverit, aut non peccaverit, non pendet ex conscientia confessarij, sed ex pro-

propria illius: & consequentè, si cum opinio probabilis excusaverit, dum operaretur, & excusare possit in futurum, iniquissimè damnabitur à confessario, vel tantùm malè dispositus, & absolute indignus, dimitteretur. Ità P. Didacus de la Fuente Hurtado in sua Theologia Reformata, dissert. 3. cap. 5. num. 48. & videatur etiam numeris duobus sequentibus, vbi assignat discrimen de Iudicibus alijs in foro externo iudicantibus, & de quibus solùm loquebatur Propositio 2. ab Innocentio XI. damnata; nam ad prædictos Iudices in foro externo spectat propriè ipsas lites dirimere, & sententiam suam extrinsecus manifestare, vt eis pareant hi, qui litigant; aliàs si litigantibus suas opiniones, etiam probabiles, deceptionesque inculpatas permetterent, nihil agerent prædicti Iudices.

56 Undè P. Suarez tom. 4. in 3. p. disput. 23. sect. 5. num. 4. ità concludit: *Dico igitur, in huiusmodi casu, non solum posse, sed etiam debere confessorem absolvere poenitentem.* Et post relatos aliquos Authores idem asserentes, addit: *Et ratio est clara, quia in eo casu (quem proposuit, num. 3. antecedenti, & est ipse, de quo loquimur) poenitens integrè confessus est, & est benè dispositus, & nihil agit contra conscientiam; & hoc totum est evidens Confessori: ergo nullum habet ius, neque rationem aliquam, vt illum sine absolute remittat: neque in hoc est vlla difficultas:* Ità Eximius Doctor. Ex quo etiam respondetur ad instantiam adductam de Maioratus v. g. vel alia re, quàm iudicat confessor, vt probabilius, non ad poenitentem, qui eam obtinet, sed ad alterum pertinere: nam si poenitens habet pro se etiam opinionem verè probabilem, huic potest adherere licitè, quidquid confessarius sentiat, seu probabilius iudicet, quia neuter certò iudicat, atque ad eò vterque potest falli; undè sicut potest contingere, quòd sequatur in re detrimentum alterius ex non restitutione rei, iuxta opinionem confessa-



fessarij, si fortè est vera; ità etiam è contrariò sequi potest detrimentum ipsius penitentis, si fortè est falsa, & sua opinio vera: quare ergo magis detrimentum alienum, quàm proprium suum fugere tenetur? Maximè cum in tali casu, *Eo ipso quòd penitens operetur sequendo opinionem verè probabilem, detrimentum secutum alteri* (ait P. Suarez citato num. 3. propè finem) *est materialè, & per accidens, & formalitèr non est iniuriosum, atque adèd nec peccaminosum.*

57 Ad confirmationem respondeo, negando assumptum, videlicèt, ad penitentem solùm attinere quæstionem facti, & nullo modo iuris, ità vt præcisè debeat in confessione explicare, quid commiserit, & non etiam quomodò commiserit, àn iudicando esse peccatum, seu contra ius, & legem, non tantum speculativè, sed practicè, àn verò è contra? Indè enim solùm potest confessarius noscere statum penitentis, & àn peccaverit, vel non peccaverit, non autem ex iudicio proprio suo ipsius confessarij, vt nuper explicuimus, num. 55. antecedenti: Undè & P. Hurtadus, loco ibidem citato, num. 47. *Confessarij* (inquit) *debent solum acquiescere opinioni penitentium circa ea, quæ eis licent, aut non licent, & hoc absque vllò discrimine inter quæstiones iuris, & quæstiones facti*: Præcipuè verò si penitentes sint homines capaces, & sufficientèr instructi etiam in quæstionibus iuris. Sed addendum existimo, quòd ad quæstionem facti pertinent quæcumque penitentes, prout tales, confitentur, etiam si cum operarentur, ante confessionem, attendissent ad ius, & iuxtà suam opinionem speculativam de illo, vel contra illam fuissent operati, hoc enim solùm confitentur, quòd est quæstioni, facti. Neque propterea non est necessaria in confessario scientia etiam iuris, ad hoc vt penitenti advertat, si realitèr erravit ex ignorantia, vel inadvertentia, vt caveat in futurum; & vt meliùs agnoscat

cat ipse confessarius gravitatem peccati, & iuxta illam medicinam applicet, sive penam infligat; & ob alia etiam multa, quæ ad suum munus pertinent: Ità tamen, vt solùm ex relatione, atque conscientia penitentis moveatur confessarius, non ex proprio iudicio, vt sæpiùs explicuimus.

58 Undè etiam respondetur ad id, quòd immediate infert Synopsis, num. 78. sequenti, videlicèt, quòd licèt penitens in sententia probabili iudicet veniale tantum esse, & non mortale peccatum, quòd confitentur, ac propterea non velit fugere occasionem illud iterùm committendi, si tamen ipse confessarius mortale putet esse, nequit eum absolvere; quia de dispositione penitentis (inquit) àn sit legitima, non debet iudicare penitens, sed iudex, qui profert sententiam. Respondeo enim suprà iuxta dicta, & satis explicata, in foro interno penitentia diverso modò est iudex confessarius, ac alij iudices in foro externo: atque adèd penitenti credere debet, & iuxta eius conscientiam tantum de illo iudicare, non autem iuxta propriam ipsius confessarij, & maximè fundatam in opinione etiam fallibili, etsi ei videatur valdè probabilior, dùm tamen verè sit probabilis etiam opinio penitentis, vt supponit Synopsis ipsa: qua suppositione facta probabilius est etiam, atque iuxta communiorem opinionem, quòd penitens non peccat iuxta eam operando: quare ergo non absolvet confessarius in tali casu, cum ratione sui muneris omninò ad hoc teneatur, sicuti, & iudicare, eum esse benè dispositum?

59 Ultimùm argumentum, seu rationem Medinæ sic proponit Synopsis, num. 79. *Quia opposita sententia* (nimirum P. Thyrsi) *Cruciat animos timoratos, nam semper oportet inquirere, quanam sit opinio probabilior?* Quòd timorati viri nunquam faciunt. Cui breviter responderet
(ex



(ex dictis §. 24. antecedenti) suam sententiam, sive P. Thyrsi nullum onus imponere intolerabile, quia non obligat ad quærendas opiniones re ipsa probabiliores, sed ad eligendas eas, quæ facta sufficienti diligentia ad inquirendam veritatem, nobis appareant probabiliores. Ità Synopsis. Contra quàm responsonem sunt omnia à nobis dicta, atque probata, tam in altero opusculo priori, quàm in tabella duplici, præcipuè autem in secunda Propositione quarta Capitali, & in his notationibus, in multis locis, quæ sæpiùs repetuntur: Undè non est necesse iterum, atque iterum amplius inculcare.

60 Postea Synopsis, §. 26. à num. 81. refert, & refellit fundamenta, quæ P. Thomàs Sanchez pro sententia benigna (nam sic appellat nostram, & communem) adducit, loco ibi citato. Cæterùm, sicut ipse Author Synopsis, à num. sequent. 82. nihil, aut ferè nihil, addit de novo, *Quia ex dictis* (inquit) *contra Medinam facillè etiam diluuntur rationes Thomæ Sanchez*; similiter nec nos addendum aliquid putamus ad supra sæpiùs dicta in favorem Medinæ, & contra ipsam Synopsim eum impugnantem, aut rationes illius solventem, ut iam vidimus. Solum ergo notabimus nonnulla, quæ aliquando intermiscet quasi de novo, sed verè repetit, ad maiorem, ut putat, explicationem, seu confirmationem; v. g. in fine citati num. 82. ubi probat, non ex eo, quòd sit aliqua ratio alijs probabilis, quibus apparuit magna, & præponderans fundamentis contrarijs, inferri, esse tibi etiam probabilem, cui apparet minoris ponderis: alioqui (inquit) posset sequi aliorum sententiam prudenter ab illis conceptam, ob fundamenta, quæ ipsis inculpabiliter visa sunt magna, & prævalentia oppositis, quàmvis evidentè cognosceres illa fundamenta esse falsa, & levia.

61 Quàm probationem, sive illationem, falsam esse, quicumque iudicabit, imò & mirabitur adductam esse
ab

ab Authore tam gravi. Quando enim datur evidentiã pro vna, aut alia parte, non relinquitur locus ad probabilitatem contrariæ, quæ probabilitas dumtaxat dari potest in rebus purè in certis pro vtraque, ut satis explicuimus, atque probavimus in alio nostro opusculo priori, ex communi doctrina etiam ipsius P. Thyrsi; ab art. 1. vsque ad 6. sed præcipuè videantur, quæ ex Parente Bernardo ad duximus, art. 3. num. 14. & art. 4. num. 29. Et instatur in Fide, quæ quidem quia certa est omninò, licet obscura, non permittit pro alia parte vllam probabilitatem. In præsentem autem loquimur dumtaxat, quando pro nulla parte est certitudo, moralis adhuc, sed maior probabilitas, uti nobis apparens, qui falli possumus, & ideò cum formidine etiam tunc iudicamus, & absque vlla prorsus certitudine. Undè negari debet, quòd Synopsis, & repetit sequentia, num. 83. & 84. de certitudine quadam morali, quàm tribuere putat nobis opinio apparens clarè probabilior: de quo videantur dicta à nobis, citato opusculo priori, art. 2. & 3.

62 Sed mirabilius adhuc est, quòd Author Synopsis (seu suus P. Generalis) asserit, in eodem num. 84. ultra medium, nimirum: *Semper illi visum esse mirabile, quòd Authores benigni* (idest nostræ sententiæ) *ex vna parte affirmant, licitum esse sequi aliorum opinionem minus tutam, atque nobis minus probabilem; & ex alia defendant ultimum dictamen conscientiæ debere esse certum, & evidens. Hic enim actus videtur omninò implicatorius; Mihi quidem auctoritate, & ratione verisimilius est contractum A. esse usurarium, & lege Divina omnibus prohibitum, & tamen certus sum me hic, & nunc non commissurum usuram eum exercendo. Mirabilis tamen* (inquam) *est hoc asserere, nisi mirari debeat etiam de sua propria sententia, tam quàm omninò implicatoria; quia opinio etiam mihi visa probabilior, non est certa, neque evidens;*



& tamen supra illam putat prædictus Author, fundari posse ultimum dictamen conscientiae certum, & evidens de eius licito usu. Quarè ergo erit implicatio, & omninò miranda, quòd fundetur similiter supra opinionem, etsi minùs certò tamen probabilem? Non igitur fundatur ultimum iudicium practicum, certum, & evidens de securitate conscientiae, in iudicio directo atque speculativo de veritate obiecti, prout à parte rei, sed in iudicio altero reflexo, & certò de vera probabilitate ipsius opinionis, sive primi iudicij speculativi; vndè maior, aut minor probabilitas per accidens se habet, & quasi de materiali (sicuti & veritas à parte rei) dum modò, vt dixi sit certò probabile: de quo communiter Authores nostrae sententiae, & Nos etiam sapientissimè in opusculo nostro priori, art. 12. num. 80. specialitèr autem) & his duabus ultimis Annotationibus, in Tabellam duplicem, atque Synopsim; quippè in hoc versatur præcipua tota controversia.

63 Præterea Author Synopsis, num. 85. in posteriori illius parte etiam contra se ipsum (aut suum Patrem Generalem) probare intendit, quòd eodem modò teneamur in operatione partem eligere tutiorem, quando pro utraque nobis constat dari opiniones æqualitèr probabiles, si tamen sint aliorum, & nulla à nobis adhuc iudicetur vera. Tunc enim (inquit) necessariò manemus dubij, & ancipites, quim possimus detegere, in qua parte sit veritas: pro quo etiam refert Div. Thomam, quæstione 14. de veritate, art. 1. in corpore ubi docet, dubitatum esse, non solùm qui pro nulla contradictionis parte motivum habet assentiendi, vt in problematibus, sed etiam qui pro qualibèt æqualè habet motibum, quia tunc inter utramque necesse est fluctuare. Quando autem (addit Synopsis, num. sequenti 86.) post diligentem veritatis inquisitionem in-

veniemus simpliciter, & absolutè maius fundamentum pro benigna opinione, & ex hac operamur non speramur in dubio, sed potius post resolutionem dubij: vndè neque tenemur tunc tutius eligere, iuxta Regulam iuris, secùs autem in alio casu.

64 Ex quo etiam infert postea Synopsis Author, num. 87. meritò suum Præpositum Generalem impugnasse communem responsionem, de dubio negativo, sive suspensivo, & positivo, quando datur opinio favorabilis, quòd res sit licita (vt Nos etiam in alio opusculo priori, art. 12. num. 84. Nam omne dubium (ait) morale, & prudens debet esse positivum quoad motiva, & rationes dubitandi; neque dicitur negativum à negatione motivorum positivorum dubitandi, sed quia suspenditur assensus circa alterutram partem, propter æqualitatem motivorum; quando autem intellectus assentitur determinate vni parte contradictionis, quia illi apparuit verisimilior, tunc propriè non dubitat, sed resolvit dubium. Vndè sequenti, num. 88. negat quòd docuit P. Sanchez (& communis sententia) nimirum: *Non agere contra conscientiam, qui sequitur opinionem minùs probabilem, sed illum tantum, qui cum conscientia omninò dubia, aut certò distanti aliquid esse peccatum, id agit.* Nam si ijs (inquit Synopsis) qui sequitur opinionem probabilem minùs tutam, quando agnoscit opinionem tutiorem esse æquè omninò probabilem, operatur còtra conscientiam, à fortiori etiam contra illam operabitur, atque peccabit, quando tutior est ei probabilior; peius est enim agere illud, quòd positivè iudicas esse peccatum iudicio opinativo prudenti, quàm id agere, quando es omninò dubius. Ità Synopsis prædictis numeris citatis.

65 Dixi autem supra num. 63. hæc omnia, & his similia, si quid valent, non solùm contra nostram, sed ipsius etiam sententiam (seu sui P. Generalis) æqualitèr procedere; quòd nunc facillè probo, atque ex ipso etiam



D. Thoma loco ab eo citato; ubi post verba iam relatā hęc statim addit: *Quandoque verò intellectus inclinatur magis ad unum, quàm ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, quòd determinet ipsum ad unam partem totalitèr: Undè accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita; & hęc est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius. Quid pulchrius ad intentum? Ergo etiam iuxta D. Thomam, non solum quando æqualia nobis apparent fundamenta pro vtraque parte, verè dubitamus, sed etiam quando magis fortia pro vna, quàm pro alia; quia etsi idèd magis nos inclinent, ad illam, quàm ad aliam, non tamen sufficienter vt determinent ipsum intellectum totalitèr (seu necessariò) ad eum, quia semper dubitat de opposita: & hęc est semper dispositio opinantis etiam, quovismodò opinetur, idest quàm tumvis illi probabilius vnum, quàm illud videatur: de quo latè iam egimus in priori nostro opusculo, art. 1. 2. & 3. & alijs multis locis, sed legantur in 1. art. citato num. 1. verba, quæ ibi retulimus ex ipso P. Thyrso, dissert. 3. cap. 2. §. 3. num. 39. vt indè colligitur, non semper consequentèr loqui.*

66 Non ergo soluit absolutè dubium (sicut neque tollit formidinem pro contraria parte) qui post diligentem veritatis inquisitionem invenit maius fundamentum, pro aliqua opinione, & idèd iudicat eam probabiliorè; atque idèd, neque potest illam iudicare veram, absolutè, & à parte rei, sed tantum apparentèr, seu verisimiliorem, vt in prædicto etiam opusculo priori, art. 4. satis explicuimus: sicut & in art. 9. qualitèr, etsi nequeat assentire intellectus speculativè, vt veræ alicui apinioni, si tamen est certò probabilis, possit nihilominus eam ad praxim eligibilem iudicare. Sufficit ergo non esse dubium de illius probabilitate, quàmvis remaneat adhuc de eius veritate. Hoc autem non minùs contingit, quando pro

Vna parte apparent nobis fortiora fundamenta, & idèd existimamus eam esse etiam verisimiliorem; sed etiam quando pro vtraque sunt, sive nobis apparent æquè fortia, & gravia eorum fundamenta; tunc enim etiam certò possumus iudicare esse vtramque reverà probabilem, & si non simul veram: de quo etiam in prædicto opusculo, art. 5. 6. & 7.

67 Ad id autem quòd Synopsis addit, & probat ex P. Generali; non dari scilicet dubium morale, & prudens, purè negativum, sive suspensivum (vt communitèr docent reliqui Authores) sed omne dubium esse positivum, quàm tum ad motiva, atque rationes dubitandi; respondeo, parùm ad rem facere, dum modò verè detur suspensio assensus erga vtramque partem; nam in hoc sensu loquuntur reliqui Authores. Falsum est autem prorsus, quòd hoc semper contingat, propter æqualitatem solum motivorum pro vtraque parte; nam etiam tunc, si sint gravia motiva, potest determinatè iudicare intellectus, quàm libet ex illis verisimilem esse, atque probabilem, & consequentèr licitè eligibilem etiam reverà in praxi: quòd tamen nequit facere, quando motiva non sufficiunt ad ità iudicandum, licet sint sufficientia ad verè dubitandum: quòd est valdè diversum, quia ad primùm debent esse ità gravia, vt sufficiant etiam ad probabilitèr solvenda argumenta contrariæ partis, non autem ad secundùm, imò idèd tunc est dubius suspensivè intellectus, vt notavit & benè noster Lorca tom. 1. num. 12. D. Thoma, tract. de actibus humanis, disp. 39. membro 1. ferè in fine.

68 Quòd autem arguit primò Synopsis in eodem num. 88. contra P. Sanchez, non eget responsione, quia supponit falsum vt iam vidimus, nimirum operari contra conscientiam, qui sequitur opinionem probabilem minùs tutam, si tutior ipse etiam videtur esse æquè pro-



babilis, sed neque valet, quòd secundo arguit in fine eiusdem numeri contra eundem P. Sanchez, ex eo scilicet, quòd si reverà putet, qui agit cum conscientia dubia (vt affirmat prædictus Author) quare non magis peccabit etiam, qui cum conscientia prudentèr opinante aliquid esse peccatum, illud nihilominus agit? Peius est enim agere malum cognoscendo esse malum, quàm de eo dubitando, siquidem adhuc si iudicium illud esset erroneum obligaret omninò. Non tamen (inquam) valet hoc si loquamur in sensu controversiæ, nimirum, quando pro vtraque parte datur opinio seu iudicium prudens de earum bonitate, seu malitia, eo enim ipso, vtrumque obiectum erit verisimile, & nullum certum, atque adedò quodlibet etiam eligibile elicetè, & prudentèr, si vtrius malum repræsentetur; secus foret, si solum daretur vnicum iudicium de vna parte, videlicet de operis malitia, etiam si esset erroneum, quia tunc pro alia non esset regula, quàm sequeremur prudentèr, sicut neque quando pro vtraque est dubium propriè suspensivum: Videantur dicta à nobis in alio opusculo priori, art. 16. anum. 119. & Authores etiam ibi citati; imò videantur omnes, qui agunt de conscientia, quàm ità definiunt, vt sit dictamen practicum, sive iudicium vltimum, quòd præcedere debet, & dirigere actiones nostras morales, & in praxi, & iuxtà illud sunt bonæ, vel malæ.

69 Vltèrius, §. 27. *Solvitur* (inquit Author Synopsise) *argumentum Probabilistarum petitum ab obligatione obediendi superiori præcipienti.* Quòd argumentum ità illi proponit, num. 89. *Nam subditus tenetur obedire superiori præcipienti etiam aliquid, quòd ipse subditus existimat illicitum, hoc ipso quòd sciat dari opinionem probabilem affirmantem esse licitum, quàmvis ipse eam minùs probabilem esse existimet, & absolutè falsam iudicet.* Ergo semper opinio minùs etiam probabilis operanti;

eli-

eligibilis est ab ipso licetè in praxi. Ad quòd in primis, num. 60. sequenti, ferè in fine, concedere videtur antecedens; dùm vt certum supponit, quòd quando Prælati præcipit actionem subdito, quæ absolutè, & ex se est indifferens, teneatur obedire, *Etsi subditus putet sibi esse illicitam, vel quia existimat valdè nocivam suæ sanitati, & honori, vel quia putat fore sibi laqueum graviter delinquendi: postea verò, num. 61. negat prædictum antecedens: Quia ageret* (inquit) *subditus contra propriam suam conscientiam, si retento adhuc suo proprio iudicio, exerceret actionem, cum non possit formare tunc bona fide dictamen de licita eius elicientia.* Nihilominus tandem docet, in eodem num. 61. quòd omnes, videlicet: *Quòd absolutè obedire tenetur subditus in illo casu suo superiori: sed deponendo prius (addit) suum proprium iudicium, vt sequatur iudicium superioris: pro quo etiam refert Suarez lib. 6. de legibus, cap. 8. num. 6. Vbi asserit, esse hanc doctrinam communem, & in praxi necessariam; quòd non negat Synopsis.*

70 Qualitèr autem possit, imò & debeat, subditus suum proprium deponere iudicium, & assentire alieno superioris, explicat ibidem: *Quia potest* (inquit) *ac debet avertere considerationem à motivis, quæ ipsi persuaserant, rem illam esse illicitam, & mentem erigere ad contemplandum, quòd superior locum Dei teneat; dùm tanquam superior præcipit, ac proindè quòd Deus per os eius loquatur: Cùm ergo Deus non nisi honesta, & licita præcipere possit; iam opinio favens libertati, quæ ante præceptum apparebat subdito minùs verisimilis, post præceptum illi apparet verisimilior: quæ maior verisimilitudo tunc non fundatur in maiori scientia, & eruditione superioris, sed in prerogativa ipsius vt teneantis locum Dei, qui dixit: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* In cuius etiam confirmationem adducit verba quædam sui Parentis S. Ignatii in

S 4

epi-



epistola de obedientia, quàm scripsit ad suos, ut ad perfectam obedientiam eos proveheret omninò. Undè infert postea Synopsis, num. 64. non valere paritatem ex superiore, aut subdito illi obediente, ad alium quemlibet in operando se ipsum solùm dirigentem: quia subditus ut talis, si sit perfectè obediens deponit, sive mutat suum proprium iudicium, quòd habebat antea, & probabilius iudicat iudicium superioris, qui locum Dei tenet, & in nomine Dei præcipit; secus autem se habent reliqui alij se ipsos solùm dirigentes, iuxta proprium suum iudicium, quòd non deponunt, nec tenentur deponere. Ità ut latius, Synopsis, vsque ad num. 94.

71 Sed in primis inquirò; quid si subditus nequeat, quàm tumvis agat, & conetur deponere iudicium proprium, nec probabilius aliud iudicare, & si sit superioris? Quòd autem hoc possit contingere, imò & sæpiùs contingat, negari nequit, nisi à non legente plures Sanctos Patres, sed inter eos Seraphicam Magistram spiritus Divam Theresiam à Iesu, citato loco in priori nostro opusculo, art. 13. num. 97. Ubi fatetur, nunquam deponere potuisse suum proprium iudicium, in rebus, quæ ibi refert, etsi contrarium prorsus esset iudicio sui Confessarij, atque aliorum plurium, etiam superiorum. Et tamen Deus illi præcipiebat ut eis obediret, quàmvis errarent materialitèr; quia nimirum non errabant formalitèr, nec culpabilitèr, sed prudentèr, & probabilitèr ex vi fundamentorum, quæ eis apparebant gravia, imò & graviora, licèt reverà falsa, seu fallacia, ut postea ipsi etiam cognoverunt. Ergo hoc præcisè sufficit, ut subditus teneatur obedire suo superiori si sciat hominem prudentem esse, neque præcipitantèr agere, sed omnibus inspectis, atque benè ab eo consideratis, & iuxta opinionem sibi certò, & verè probabilem, etsi minùs in existimatione ipsius subditi, imò & ipsius etiam superioris

rioris, qui non tenetur semper perfectiora præcipere, nec etiam sibi visa evidentèr probabiliora: de quo videantur dicta à nobis in alio etiam opusculo priori, art. 17. & 18. & in hoc sensu intelligendus D. Ignatius, qui suis Religiosis perfectiora suadere vult, etsi non necessaria.

72 Ex quibus constat, quòd neque Deus ipse velit aliud à superioribus, etsi nomine suo loquantur, & præcipiant, cum subditis imponunt legem, aut mandatum, provt tales: Neque enim eos idèò reddit, materialitèr etiam, infallibiles in omnibus iudicijs suis, quando in rebus in certis, & moralibus subditos regunt; sicut neque alios quoslibet, qui etiam tenentur semper operari conformitèr ad legem Dei (ne ipsum offendant) non tamen provt à parte rei, sed provt iudicent prudentèr, sive probabilitèr, omnibus inspectis, atque benè consideratis, etsi minùs appareat illis probabile, quàm aliud, de quo est tota nostra præcipuà controversia, atque idèò, nec oportet denuò hic probare: Videantur tamen specialitèr, quæ diximus in alio opusculo priori, citatis nuper locis, & art. 4. antecedenti, sæpijsimè citato.

73 Solùm ergo esse posset differentia inter Prælatos, sive superiores, & alios reliquos privatos, quòd superiores, provt tales, ob speciale múnus, quòd exercent, quasi nomine Dei, tenentur in mandatis suis sequi semper, quòd sibi apparet probabilius, esse conformitèr ad legem Dei (sicut de iudicibus, aut Confessarijs, alijque specialitèr, ob sua propria munera, iam diximus), non tamen idèò semper erit verum, quòd probabilius ipsi iudicant, neque ad hoc Deus illos obligat, etsi in nomine ipsius operentur, nisi aliquandò id velit, eisque prætereà revelet tunc prædictam veritatem (vti diximus suprà num. 71. præcedenti, fecisse tandem Confessarijs, atque superioribus Sanctæ Matris Theresiæ, quos per-



permiserat antea per longum tempus errare materialiter) ergo nec etiam subditi tenentur iudicare illud ipsum probabilius, ut debeant obedire, sed sufficit, quod certo eis appareat revera probabile, etsi ipsis minus videatur, cum eo ipso operentur prudenter, & sine periculo formaliter peccandi; quod Deus solum vult a nobis, tam subditis, quam superioribus, non autem quod revera iudicemus in omnibus, sicut & ipse, sine materiali adhuc errore; imò neque vult Deus, quod homines æquentur Angelis in cognoscendis, atque iudicandis rebus etiam pure materialibus, ut retulimus in alio opusculo priori, art. 17. citato num. 134. in fine.

174. Nunc iam ad alia transeamus, & videamus Synopsim, qualiter in speciali solvat fundamenta etiam P. Terilli, ex eadem Societate, quæ pro sententia nostra, atque communi adduxit, atque refert Synopsis, à §. 28. usque ad 38. sequentem, sive usque ad finem libri. Primum (inquit num. 95) & præcipuum est; quia si non excusaretur à peccato mortali, qui bona fide sequitur opinionem directe minus probabilem; omnes totius Ecclesiæ Doctores, qui per centum, & amplius annos benignam sententiam tradiderunt, gravissimè peccassent, quia doctrina sua falsa, & ad formandam conscientiam insufficiente, proximos, qui eorum autoritate directi sunt, in peccatum, & damnationem duxissent. Nec quidquam eos posset excusare, quia si bona fides non excusat alios sequentes eorum dogma, quid talia docentes excusare poterit? Confirmat primò, quia si talis sententia esset falsa, suosque Authores, eorumque bona fide sequentes, à peccato non excusaret, Deus per integrum sæculum Ecclesiam suam deservisset, illamque periculosissimo errore cecutire permisisset. At hoc est incredibile: Ergo, &c. Confirmat secundò, quia omnis opinio ad praxim ordinata, quæ licitè docetur in scholis, &

libris, est sufficiens regula conscientiæ ad eam sectantes à peccato excusandos; aliàs peccarent, qui docerent, aut in libris scriberent: At oppositum constat de opinione benigna, quæ licitè docetur, & defenditur publicè à quàm plurimis, imò ab omnibus ferè per tot annos. Ergo, &c.

75. Sed respondet 1. Synopsis, num. 96. ex suo P. Generali, dissert. 12. per totum, argumentum prædictum P. Terilli falsa suppositione laborare; supponit enim hominem bona fide sectari opinionem minus probabilem, & minus tutam in occurso tutioris, & probabilioris; nam eo ipso talis opinio minus probabilis in actu primò magis ei apparet falsa, quàm vera: Ut autem probat latè, idemmet P. Generalis, dissert. 6. per totum, nulla reflexio potest excusare à culpa formalium, qui in tali casu sequeretur opinionem minus probabilem faventem libertati adversus legem, seu minus tutam. Ergo etiam implicat, ut bona fide eam tunc possit sequi. Ad-ditque, in hoc consistere difficultatem huius controversiæ; in qua ipse P. Generalis in toto suo opere, seu libro, cum omnibus Theologis Antiquis, atque multis etiam Modernis, oppositum defendit, ac opinio nostra benigna. Cæterum ex hoc ultimo impugnari etiam potest huiusmodi Responsio primà: Nam sicut P. Generalis vult negari debere illud suppositum Terilli, de bona fide operantis iuxta opinionem sibi visam minus probabilem, & minus tutam, præcisè ex eo, quod oppositum doceat, & defendat ipse P. Thyrsus in suo opere, seu libro; cur etiam non similiter Nos, qui benignam opinionem ut veriore defendimus, & nobis securissimam, non possumus supponere, ut verum, quod ipse negat ut explicatorium. Nisi velit, cum solum veritatem docere certò infallibilitè. Quod autem asserit de numero Doctorum (nempe) omnium Antiquorum, & plurimum Modernorum) qui cum



cum ipso consentiunt, negari debet etiam, uti negant, & probant Authores nostræ, atque benignæ sententiæ, quàm defendimus; de quo nos in Proæmio alterius nostri opusculi, & art. 15. eiusdem num. 115.

76 Præterea inquiri à P. Thyrso, an ipse per tot annos; quibus nostram sententiam tenuit, usque ad annum nimirum 1670. (ut ex ipso retulimus in citato Proæmio) peccaverit mortalitèr, quia mala fide operabatur, sequendo in praxi scilicèt opiniones minus probabiles, & minus tutas ut sæpius, aut confitendo, aut consulendo, aut operando, necesse est ei contigisse, in tam varijs Missionibus, & peregrinationibus, & accidentibus, quæ non semper relinquunt animum, sive spiritum, in eodemmet statu, aut eum eodemmet fervore? Quòd si peccavit propter malam fidem, multum deinceps (cum mutavit sententiam) negotij, atque laboris, imò scrupulorum, passum fuisse non dubito, in recogitando, & memorando quoties, & quando, isto modo peccaverit. Si autem non peccavit (ut magis credo) quia reflexe iuxta opinionem sibi tunc veram apparentem, aut probabiliorem operatus fuerat (videlicèt, iuxta opinionem benignam, quàm defendimus) quàmvis directè iuxta minus probabilem, & minus tutam speculativè; quare nobis non etiam licebit iuxta eam operari, si reflexe putamus veram, ut probabiliorem sententiam, quàm defendimus, de licita electione illius?

77 Bona ergo fide, & sine peccato formali, sequimur eo ipso opinionem directè, sive speculativè, minus probabilem, ut rectè supposebat P. Terillus in prædicto suo argumento; quidquid P. Thyrsus in contrarium intendat, præcipuè in eo quòd Synopsis refert ex illo, dissert. 6. videlicèt, quòd per nullam reflexionem possit excusari à culpa formali, qui sequitur in praxi opinionem sibi etiam apparentem minus probabilem, & minus tutam

tam speculativè; de quo sæpius in nostro opusculo priori, tum art. 3. num. 16. tum art. 9. per totum, tum etiam art. 12. à num. 80. imò ferè vbiicumque (cum de hoc sit controversia principalis) & instatur contra ipsum etiam P. Thyrsus, qui supra opinionem tantum probabiliorem, sed fallibilem, fundat certum iudicium reflexum, quo dirigitur, ut securè operetur in praxi absque peccato.

78 Deindè Synopsis, ante quàm respondeat adhuc argumento P. Terilli, retorquet illud, num. 97. ex suo etiam P. Generali: Nam omnes (inquit) antiqui Theologi sententiam suam tradiderunt: Ergo si illa est falsa (ut nos dicimus) graviter peccarunt omnes importantes super capita hominum grave onus (sequendo scilicèt opinionem nobis probabiliorem) quòd Deus ipsis non imposuit; vnde plurimis etiam peccandi occasionem dederunt, qui propter eorum falsam doctrinam, habuerunt malam fidem, cum opiniones minus probabiles, & minus tutas elegerunt (quòd attenta fragilitate humana, sæpè accidere debuit, aut potuit) quàm tamen malam fidem non habuissent, si opposita sententia nostra, atque benigna, illis tradita fuisset prædictis Authoribus antiquis; vnde isti fuerunt causa, ut fecerint mala conscientia, quòd seclusa ignorantia, potuissent facere bona. Quare (prosequitur Synopsis, §. 29. à num. 98. validissimum inde sumitur etiam argumentum, ad probandum nostram sententiam, seu Probabilistarum, esse falsam omninò: Nam si illa foret vera: Ergo sententia opposita, & severa Probabiliorismi, falsa esset; atque adeò, cum per quindecim ferè sæcula ut vera ab omnibus sit tradita, dicendum foret, Deum permisisse, ut tota Ecclesia erraret per tot annos, in doctrina morum, & in regula dirigendi conscientias, quòd absurdum est propositum.



79 Si autem illi opponas, seu retorqueas; quòd etiam si sententia nostra, seu benigna, falsa esset, sequeretur similiter, quòd per certum, & amplius annos, quibus eam defendunt, atque docent ferè communiter Doctores (vt fatetur Mag. Thyrsus) permisisset Deus, quòd erraret Ecclesia in doctrina, & regula morum: Respondet Synopsis, num. 99. posse Deum permittere, vt licèt non tota Ecclesia, magna tamen pars eius erret, non solum in Doctrina morum, sed etiam in materia Fidei vti contigit tempore Arrianorum (de quo D. Hieronimus, quem refert) & nunc etiam contingit in pluribus Provincijs Hæresibus infestis: Ità ergo (concludit) potest Deus permittere, vt magna pars Theologorum Ecclesiæ, etiam per longum tempus, erret in Doctrina morum, sicut existimat Mag. Thyrsus, falsos, & deceptos fuisse, vt homines, Theologos omnes, etsi plures, qui nostram, & benignam sententiam vt veram tradiderunt: neque enim propterea deseritur Ecclesia à Deo, quia Fideles adhuc in hoc tempore habent Magistros alios, & non paucos, qui ipsis proponant veram, & securam regulam operandi, vt in Gallia, Belgio, & Italia, de quo Vincentius Contensonus, & Morbesius, quos refert Synopsis, num. 99. citato. Addit tamen ulterius, quod licèt Deus permisisset, vt omnes ferè Theologi, tempore hoc relato, docerent sententiam nostram falsam, sufficienter providisset adhuc Ecclesiæ, & illi reliquisset Magistros, à quibus discere omnes possent veram regulam rectè operandi, nempe omnes alios priores, & antiquos Doctores, qui suis libris docent semper, etiam nostris temporibus, non minus, quàm Recentes Probabilitæ. Hæc omnia Synopsi ex Mag. Thyrso.

80 Contra quem sic insurgo, ex dictis supra hic, num. 75. duobusque sequentibus; Namque P. Terillus in argumento suo non asseruit, absolutè loquendo, pec-

peccare Authores nostræ, at benignæ sententiæ (quàm ipse defendebat, & probare intendebat) sed conditionate, si eam sequentes, & cum bona fide iuxta eam operantes, reverà peccarent; quia eo ipso causa essent illi Authores huiusmodi peccati aliorum, siquidem præcisè propter doctrinam falsam, quàm docuerunt, alij peccarunt, qui eis crediderunt, & bona fide sunt secuti eorum opinionem, quàm veram asserabant. Quòd idem etiam est dicendum de Authoribus, qui docent sententiam P. Thyrsi, atque adeò etiam de ipso, quàmvis nobis videatur esse falsa; cum sufficiat, verè esse probabilem, vt bona fide possit sequi à quolibet, vt in opusculo nostro priori probatum est, vtpotè assumptum principale totius huius controversiæ.

81 Undè invtiliter retorquet Synopsis, sive P. Thyrsus, argumentum P. Terilli, cum ex illo non inferatur absurdum, quòd inferri putat P. Generalis prædictus; imò potius oppositum, quia eius opinionem, etsi falsam, non negat Terillus esse etiam probabilem, & consequenter sine errore culpabili, aut formali, sed tantum materiali, qui in quavis opinione, quàm tumvis nobis apparente manifestè probabiliore, dari potest; atque adeò, si bona fide iuxta quamlibet operemur, à peccato excusamur. Si ergo non excusaremur, sequendo nostram opinionem, etiam cum bona fide, inferatur (vt benè arguit Terillus) eam non esse adhuc probabilem; & consequenter, quòd peccarent illam nobis suadentes, seu docentes, quia nos fallerent, & culpabiliter vtpotè gravi fundamento (alias esset probabilis) quòd concedi non debet de tot, ac sapientissimis, & pijsimis etiam Doctoribus Ecclesiæ, qui per centum, & amplius annos, uniformiter omnes, aut ferè, sententiam nostram, seu benignam, vt veram tradiderunt: quidquid sit de opposita sententia P. Thyrsi, quæ probabilis etiam esse simul potest,



test, iuxta dicta, & probata in alio nostro opusculo priorum, art. 5. & 7.

82 Sed addendum est primò, ex dictis etiam ibi, tum in Proœmio, tum art. 15. num. 115. tum Corollario 17. & ultimo, falsum esse, quòd asserit prædictus Autor de numero nimirum Doctorum, tam ex Antiquis, quam Modernis, qui suam opinionem communiter docuerint, ante annum (inquit) 1515. semper quindecim ferè sæcula: contrarium enim constat, ut probabimus ibi, at potest videri in Authoribus nostræ, atque benignæ sententiæ; cumque sit quæstio facti, non amplius de hoc agendum. Secundò etiam addendum, non ex eo præcisè, quòd per plures annos, & à multis Doctoribus fuerit aliqua sententia ut vera existimata, sequi esse veram realitèr à parte rei, cum in rebus obscuris, & in certis homines, etsi plures, possint falli, quantumvis ipsis videatur, quòd iudicant verum: sicuti etiam P. Thyrsus in hac ipsa materia contigit, quippè per plures annos, usque ad 1670. veram existimavit nostram, communemque opinionem, ex hinc autem ut falsam reijcit, ut fatetur: similiterque accidit alijs etiam, & nobis, circa varias quæstiones, aut res dubias, ut experimur frequentissimè.

83 Addendum tertio, neque Deum proptereà permittere, quòd tota Ecclesia erret (ut malè infert postea Synopsis, citato à nobis loco hic supra in fine, num. 78.) sed dumtaxat errare partem aliquam eius, sicuti ipsa Synopsis respondet ad instantiam, quam in sequenti num. 79. adduximus a paritate nostræ sententiæ, quam ut veram docuerunt etiam per centum, & amplius annos communiter Doctores, ut fatetur Mag. Thyrsus: nec est credibile, imò neque possibile, quòd in rebus ita incertis, nec determinatis, aut revelatis à Deo, omnes ita conveniant, ut nullus sit, aut fuerit, per tam longum

tem:

tempus, qui ab altero dissenserit, cum tam varij, & diversi sint casus hominum. Non ergo tota Ecclesia, sed pars aliqua tantum errasset eo in casu, quòd opinio communior falsa esset. Quarè autem Deus sic permittat adhuc tot homines errare, aut quare, suas leges non omnibus declarat, certò, & manifestè ut sciant eas, & observent? Videantur dicta à nobis in alio nostro opusculo priorum, art. 13. num. 96. & 97. specialitèr autem Corollarium 17. citatum, ubi contra id, quòd addit P. Thyrsus ex paritate, seu comparatione nostræ sententiæ ad Arrianismum, cæterasque Hæreses, satis fuimus locuti, imò admirati eius audaciam, sive verborum dissonantiam.

84 Tandem addendum, Authores pro sententia sua, quos refert ex Italia, Belgio, & Gallia, sicut & Contensonum, & Merbesium, suspectos apud plures esse, proptèr Jansenismum, atque adeò non audiendos sine timore, & non plena attentione: maximè cum non adhuc videamus, & audiamus emendationem vitæ, & morum in Provincijs relatis, imò potius oppositum (ut in Proœmio etiam notavimus alterius nostri opusculi.) Non ergo Deus hos Magistros, seu Doctores elegit ut veram, & securam regulam operandi hoc tempore suaderent omnibus, & averterent eos à nostra falsa (ut loquitur) & perniciofa doctrina, ut sic Ecclesiam non relinqueret errantem sine auxilio ad cognoscendam veritatem. Alios autem Magistros, quorum scripta adhuc perseverant, etsi nunc etiam doceant non minus suis libris, quam Recentiores Authores; falsum est tamen, eos sententiam P. Thyrsi, & non nostram docuisse, ut sæpius explicuimus; aut saltem non ita clarè, ut Recentiores Authores, quia nec ante sæculum præteritum hæc controversia in proprijs terminis tam expressè disputabatur. Undè præcisè ex libris, sive scriptis Antiquorum Patrum, seu Doctorum cognosci nequit certò, quæ fuit eorum mens in præsentia materia; sicut contingit etiam in alijs pluribus, quæ per



tractarunt, vel evidentè, vel obscurè, atque adeò diversimode etiam à Recentioribus intelliguntur.

85 Videamus tamen iam, qualiter Synopsis (sive eius P. Generalis) respondeat directè ad argumentum P. Terilli rellatum suprâ hic, num. 74. Respondeo (inquit §. 30. & 31. à num. 100.) negando sequelam; ex eo enim quòd peccent formalitèr hij, qui sectantur opiniones minus tutas relictis tutioribus, sibi que probabilioribus, non sequitur, quòd peccaverint Doctores omnes, qui hoc docuerunt: quia quàmvis hac sua doctrina falsa occasionem præbuerint proximis suis committendi peccata; hoc fuit omninò præter eorum intentionem, atque ipsis involuntarium; hanc doctrinam enim plerique saltem ex illis bona fide docuerunt, quia sibi post sufficientem veritatis inquisitionem, visa fuit probabilior, sicut & eius fundamenta urgentiora: at verò illi, qui in operando sectantur opiniones minus tutas, quæ sibi minus etiam probabiles apparent, non habent hanc excusationem, & consequentèr peccant reverà formalitèr. Neque enim possum excusari, quia per reflexionem putant sententiam, quàm illi Authores docuerunt esse sibi probabiliorem, sequi, de licita nimirum electione in praxi opinionis etiam si minus tutæ, atque minus probabilis; nam eo ipso quòd sit falsa huiusmodi sententia peccant hij, qui iuxta eam operantur: quæstio enim non est de reflexione, sed de directâ operatione iuxta iudicium proprium operantis; si ergo ipsi probabilius apparet, esse illicitam talem operationem, excusari non poterit à culpa formali per ullam reflexionem, quia operatur tunc contra propriam conscientiam; pro quo adducit D. Thomam loco ibidem citato.

86 Quòd magis explicat, atque confirmat Synopsis, §. 32. à num. 103. ratione (inquit) quasi à priori: quia licèt fundamentis fallacibus Probabilista innocuè, & inculpatè sibi persuadeat illam sententiã reflexam esse veram, & in hoc iudicio non peccet; hoc tamen iudicium eius est

merè speculativum, habens pro obiecto immediato honestatem formalem actus, quàm contemplatur vt constitutam, vel constituendam. Hoc autem iudicium est falsum, quia affirmat, posse hominem sine peccato formali exercere actionem in circumstantijs etiam, in quibus, omnibus consideratis, habet maius fundamentum ad iudicandum illam esse illicitam, & contra legem Dei; cum adhuc si ei viderentur æqualia fundamenta pro vtraque parte deberet etiam abstinere à tali operatione, proptèr dubium nimirum in quo permanet *omne enim, quòd non est ex fide* (id est, ex dictamine conscientie prudenter determinato) *peccatum est*: sicut ait Apostolus. Quarè tunc solùm reflexè erit verum affirmare, licitum esse sequi opinionem probabilem minus tutam, quandò fuerit verum, illum post diligentem veritatis inquisitionem operanti apparere manifeste verisimiliorem, quia tunc solùm potest operans formare dictamen, & persuasionem prudentem, quòd talis actio non sit lege prohibita. Omitto plura alia, quæ prosequitur vltra Synopsis in eodem, §. citato 32. vsquè ad finè, quia nihil speciale addunt, quòd egeat discussione.

87 Contra præcipuam ergo Responsonem ad argumentum P. Terilli, quàm retulimus suprâ, num. 85. in primis insto, quæ sæpijsimè dixi, tum in priori opusculo, tum in tabella duplici Propositionum Capitalium, tum etiam hic in istis Notationibus contra Synopsim, circa proprium vel licèt nostrum iudicium, quàm tumvis nobis manifestè appareat probabilius, seu verius; cum adhuc sic fallibile, & sæpè etiam contingat, falsum esse, vel ex affectu, vel passione, vel ignorantia, aut inadvertentia, licèt putemus omnia exactissimè, atque sincerissimè ad inveniendam veritatem, legisse, & ponderasse. Quarè ergo illi ita soli adhæreamus, vt omnia alia, etiam si doctissimorum hominum, licèt sequi non possumus? Eo autem ipso possumus etiam deponere iudicium nostrum proprium, quantum ad maiorem in eo probabilitatem nobis apparentem, & aliorum.



rum iudicium putare probabilius ob eorum scilicet auctoritatem, admodum quo fatetur ipse etiam P. Thyrsus de subditis *respectu suorum superiorum*, ut retulimus supra hic, n. 69. & 70. & videantur quæ addidimus tribus alijs sequent. Vel per reflexionem, iuxta sententiam communiorum, & nobis etiam verisimiliorem (ut in presenti defendimus) formare alterum iudicium ultimum de licita elicietia actionis, quam opinio verè probabilis etiam si minùs, atq; minùs tuta, docet non esse contra legem Dei: maximè cum prædicta etiam sententia tot habent, tantosque DD. eam amplexantes. Undè videtur esse in consequentia, non peccare tales Doctores eam defendentes, & suadentes, peccare tamen eam sequentes, seu iuxta illam operantes.

88 Nec valet, quòd vrget contra prædictam reflexionem, *Quia questio* (inquit) *non est de reflexione, sed de directa operatione iuxta iudicium proprium operantis.* Non (inquit) valet, quia ante directam etiam ipsam operationem antecedit reflexio illa, de qua loquimur, atque ratione illius formatur etiam iudicium aliud antecedens ad operationem, & proprium operantis, à quo ultimò dirigitur, ad eius elicientiam, & in quo formalissimè consistit conscientia; non autem in iudicio altero quasi speculativo, de honestate, aut malitia operationis absolutè, & secundum se, attentis solum fundamentis pro vna, aut alia parte, ratione quorum oriuntur opiniones, magis aut minùs verisimiles, five probabiles: supra harum autem probabilitatem cadit postea sententia, seu iudicium ultimum de licita electione cuiuscumque, si sint verè probabiles. Ergo quàm tumvis operans iudicet minùs vnam, quàm alteram probabilem, potest per dictam reflexionem (maximè si sententiam nostram, atque communiorum, probabiliorum etiam esse existimat) formare alterum iudicium practicum, & ultimum, quòd hic, & nunc licitè possit eam sequi absq; culpa formali.

89 Et instatur contra ipsum P. Generalem, qui non etiam præcisè super suam opinionem, quàm non certam, sed

pro-

probabiliorum tantum esse existimat, de honestate, seu non malitia operationis, fundat iudicium ultimum (quòd debet esse certum, saltem moralitè) de licita nimirum elicientia illius, hic & nunc; sed ulterius supra alterum iudicium posterius & reflexum, nempe quòd prudentissimè se gerat, in rebus tam in certis sequendo saltem probabiliorum opinionem, quàmvis fallibilem; alias enim scientèr se se exponeret periculo frangendi legem, atque adeò etiam formalitèr peccandi, cum nulla opinio, quàmvis probabilior, careat isto periculo: de quo plura iam diximus in alio nostro opusculo priori, ab art. 1. & alijs multis locis, tam in tabella duplici, quàm hijs Annotationibus. Ergo etsi questio inquirat de ipsa directa operatione iuxta proprium iudicium operantis, non tamen iuxta quodlibet iudicium proprium eam antecedens, sed quòd sit certum hic & nunc de licita elicientia illius; & consequentèr non tantum directum, etsi probabilius appareat operanti de eius honestate, absolutè & secundum se, sed iuxta alterum iudicium ultimum reflexum, & fundatum supra ipsam veram probabilitatem opinionis, quàm sequitur, & quæ certa supponitur: Videatur Pater Moya tom. 1. Selectarum, quest. 6. § 6. & in 2. tom. in Appendice ad tract. 1. de opinione probabili, quest. 8. & 9. Et videatur etiam in nostro opusculo priori, art. 7. à num. 42. vbi explicuimus, quomodò ad hoc æqualitèr se habeat verè probabilis opinio, etsi minùs, & in conspectu etiam oppositæ probabilioris. Nec D. Thomas aliud docet, ut legenti patebit, cum solum dicat, esse etiam peccatum, quòd sit contra conscientiam operantis; quòd non negamus, sed quòd conscientia sit iudicium directum antecedens, probabile dumtaxat, five probabilius, & non potius reflexum, & certum, & fundatum supra ipsam probabilitatem certam opinionis.

T 3

90 Ad



90 Ad confirmationem, sive quasi rationem à priori, quàm adducit Synopsis, & retulimus supra hic, num. 86. Respondeo, omiſſa maiori, distinguendo minorem; *Hoc autem iudicium est falsum*, ipsi operanti, & iudicanti illam sententiam reflexam esse veram, nego; Patri Thyrso, & sequacibus opinionis illius, transeat; & nego consequentiam. Quàmvis enim reverà, atque à parte rei esset falsum iudicium illud, si prædicta sententia, quàm veram putat, esset etiam falsa; at negari non potest, quòd sit certò probabilis huiusmodi sententia, tam comunis, & defensata à tot, atque Doctissimis Magistris; eo autem ipso aliud iudicium vltimum reflexum, fundatumque, non inveritate, sed tantum probabilitate certa talis sententiæ, non falsum, imò neque dubium, sed verum, certumque moralitèr; sicut & ipse P. Thyrsus docet de simili iudicio vltimo, iuxta suam sententiam, quæ potest etiam esse falsa, quia nimirum est certò probabilis, sive probabilior, ut putat, atque hoc etiam fallibilitèr, cum fortasse sit falsum: Videantur dicta à nobis in alio opusculo priori, art. 4. sæpiſſimè citato.

NOTATIO XXII.

Qualitèr verum sit, quòd omnis opinio, quæ sine peccato docetur in scholis, & libris, sit sufficiens regula conscientie.

91 **V**Lterius pergit Synopsis, & §. sequenti 33. in titulo sic ait: *Infertur ex dictis esse aperte falsam hanc Terilli Propositionem: omnis opinio, quæ sine peccato docetur in scholis, & libris, est sufficiens conscientie regula ad eam sectantes à peccato excusandos.* Quàm illationem sic ibidem probat à num. 111. quia, ut supra priùs dixerat, §. 30. num. 100. (& nos etiam retulimus supra num. 85.)

pos-

possunt excusari à peccato formali, qui bona fide, & inculpabiliter decepti rationibus fallacibus, sive per ignorantiam invincibilem, atque probabilem, docent opinionem falsam in scholis, & libris (ut de qua nunc loquimur). & tamen operantes in praxi iuxta eam nequeunt excusari, quia eo ipso operarentur contra suam propriam conscientiam, siquidem actu iudicant ut probabilius, esse illicitam, quàm eliciunt. Quòd vltèrius confirmat, num. 112. sequenti, ex verbis Alexandri VII. in sua Bulla, quæ damnavit aliquas Propositiones (& plures etiam alias Innocentius XI.) quas tamen in scholis, & libris multi Authores docuerant bona fide, & per plures annos, impunè, & inculpabiliter; nihilominus addit prædictus Alexander VII. *Quòd si pro recta regula eas in praxi Fideles sequerentur, ingens eruptura esse Christiana vita corruptela.* Ergo non omnis opinio, quæ sine peccato docetur in scholis, & libris, est sufficiens conscientie regula ad eam sectantes à peccato excusandos, ut asserit Terillus; idèò enim Pontifex eas Propositiones damnat, quia etiam antèà perniciem animarum inferebant.

92 Sed videantur iam etiam à nobis dicta supra, à num. 87. contra eandemmet Synopsim in responsione ad argumentum principale P. Terilli, quòd retulimus etiam priùs, num. 74. (& ex quo hanc illationem sumpsit, & benè) ne sæpius repetamus eadem, absque aliqua necessitate, imò nec utilitate. Ad confirmationem verò, quàm nunc addit ex verbis Alexandri VII. damnatis aliquas Propositiones, quas docuerant contra plures Authores, bona fide, & per plures annos; Respondeo ex dictis alibi, & iuxta explicationem communiter à multis, & gravibus Doctoribus datam prædictæ Bullæ, atque etiam alteri Innocentij XI. non idèò solùm damnatas fuisse ab eis tot Propositiones, quia falsas absolutè, aut reverà improbables, sed quia in praxi plures abute,

T 4

ban-



bantur illis, vel malè intelligentes eas, culpabilitèr tamen, vel occasionem etiam ex illis detumentes ad malè agendum, vt contigit non semel, & indè Deum offendentes, non solum materialitèr, verum etiam formalitèr, & consequentèr in perniciem animarum suarum: Vnde illas (ait Pontifex) sicut iacent, vt minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, damnamus, atque prohibemus, &c. Admodum quo sunt etiam aliquæ actiones externæ, etsi in se absolutè nō malæ, scandalosæ tamè, & propterea evitandæ sub peccato mortali, ratione scilicèt periculi, aut occasionis alios excitandi ad malum; de quo videri potest Mag. Lumbier tom. suo 3. de Propositionibus 65. novissimè damnatis, advertentia 2. notatione 2. Nostra autem Propositio, sive conclusio, neque vt falsa, neque etiam vt scandalosa, hucusque fuit damnata, imò communiter vt vera, & maximè conducens ad quietem, & salutem animarum, docetur, & defenditur à pijs, & gravissimis Doctoribus, vt constat; nulla ergo est paritas, imò summa diversitas, de alijs Propositionibus damnatis ad hanc ità approbatam; nisi velit Mag. Thyrsus, suum iudicium eiusdem esse Authoritatis, atque Summi Pontificis.

NOTATIO XXII.

De non promulgatione legis in casu nostræ controversiæ.

93 **D**E indè transit Synopsis, §. 24. ad solvendum aliud (inquit) capitale fundamentum P. Terilli: *Sumptum ex eo, quòd lex prohibens actum non sit sufficientèr promulgata, ubi datur opinio probabilis, quòd actus sit licitus.* Ad quòd respondet dicta Synopsis, num. 114. ex suo P. Generali, differt. 6. num. 37. Illud scilicèt ad summum posse habere locum in lege humana, non

autem in lege divina, aut in lege naturali, de qua est præcipuè controversia: Disparitatem verò inter prædictas leges, quantum ad hoc, reddit Mag. Thyrsus, citato loco, num. 38. Nam potest (inquit) Legislato humanus, v.g. Rex, vel Summus Pontifex, legem concipere, & habere voluntatem illam promulgandi, & obligandi Subditos suos, & postea mutare consilium, & super sedere ab illius promulgatione: quo in casu lex non datur, nec potest dari violatio etiam materialis illius. At implicat, vt Deus legem concipiat, & ferat, quin habeat voluntatem efficacem sufficientèr illam promulgandi; & sit omnipotens, & infinite sapiens, atque immutabilis, nequit à voluntate efficaci semel concepta desistere. Ergo implicat, vt Deus legem condatur, & statuatur, & illa ex defectu promulgationis sufficientis desinat obligare. Rursus, quia frustrà omninò legem condidisset, si eam non vellet promulgare, cum finis condendi legem sit tantum per eam obligare subditos; sine promulgatione autem sufficiente nequit obligare: Ergo est apertè falsum (concludit P. Generalis) asserere, legem non esse sufficientèr promulgatam per hoc, quòd aliqui Auctores graves asserunt non dari talem legem, eorumque opinio communiter censetur probabilis.

94 Hæc tamen solutio, sive doctrina sic univèrsalitèr dicta, videtur coincidere cum errore Jansenistarum, atque Baianorum, quem ipse P. Thyrsus latè refutat, & horribilem vocat, tom. 4. suarum Selectarum, disp. 6. per totam; imò amplius addere videtur, quàm illos, siquidem nec concedit posse dari in nobis invincibilem adhuc ignorantiam iuris Divini, nec naturalis: cum tamen Jansenistæ, atque Baiani eam admittant, etsi non excusantem homines à peccato; imò respectu iuris Divini positivi, etiam excusantem, vt refert prædictus Auctor in citato loco, sect. 1. num. 7. & communiter alij con-



tra eos scribentes. Quòd autem possit dari talis ignorantia cuiuscumque etiam iuris, seu legis, probat ipse P. Thyrsus ibidem, sect. 8. num. 72. ex ratione communi (qua eum etiam impugnabimus in præsentì, & solvemus adductum eius argumentum) quia nimirum Deus, neque vt Author naturæ, debet per se ipsum immediatè inlerere hominibus cognitionem omnium legum, etiam naturalium, sed satis esse, quòd provideat media, quibus manifestæ fiant, partim ex lumine ipsis congenito, partim ex aliorum hominum in structione, partim ex propria industria, & labore, partim ex oratione, qua à Deo postulent illuminari: sic enim sufficientèr instruuntur, vt vitam honestam agant. Cùm hac autem providentia connaturali homini componi possunt multi errores, & ignorantia invincibiles circa iura naturalia; vel quia multæ veritates naturales etiam practicæ evidentes non sunt, vel quia sine longo discursu acquiri non possunt, vnde citra peccatum possunt ignorari. Hæc omnia P. Generalis, num. 72. citato,

95 Et num. 73. sequenti confirmat idem, & declarat à paritate legum supernaturalium (v.g. credendi Mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c.) quorum notitiam non tenetur Deus per se ipsum immediatè nobis infundere, quàmvis ad se ipsum vt ad finem supernaturalem, cum quo connexæ sunt, elevauerit nos, sed satis fuit (inquit) quòd providerit nobis media sufficientia per Ministerium creaturarum, & instructionem scriptam, & vocalem hominum, quibus tales leges paulatim innotescant. Ergo similiter dicendum de notitia etiam legum naturalium; atque adèd sicut supposita elevatione potest dari ignorantia invincibilis legum supernaturalium, ita in pura natura aliquarum saltem legum naturalium. Quòd iterum, atque iterum affirmat sæpè in eademmet, disput. 6. videatur tamen in sectione vltima, num. 127.

vbi

vbi inter alia, hæc habet: Est enim difficilimum, quòd non possit dari ignorantia invincibilis iuris naturalis (idem dicendum à fortiori de iure quovis positivo, etiam Divino) saltem quoad conclusiones quasdam remotas, quæ non nisi post multum studium colligi possunt ex primis principijs, & circa quæ præstantissimi Ecclesiæ Doctores dissentiunt, & post omnem diligentiam, ac studium, dissentire adhuc pergunt. Vnde contingens etiam est, Sapientissimos, & Sanctissimos Doctores, post accuratam rei investigationem, tradere sententias falsas circa ius naturale, quas quilibet alius tutò sequi poterit, atque illas etiam eo ipso probabiliores iudicare. Ità prædictus Author, qui se ipsum in præsentì videtur oppugnare; cùm tamen iam tunc cureret annus 1666. & consequenter decimus sextus post quam istam sententiam novam, contra quam disputamus, vt veriolem elegerat, videlicet, anno 1670. vt ex ipso retulimus in Proxiò alterius nostri opusculi prioris.

99 Qua proptèr (omissa hac solutione, & inferius probante oppositum, vt refert Synopsis, num. 118.) aliam solutionem tradit ad argumentum supra adductum à nobis, num. 93. P. Terilli; negando scilicet, quòd non sit saltem sufficientèr promulgata lex homini illi, cui post diligentem veritatis inquisitionem apparet probabilius legem talem existere; eo enim ipso ita iudicare potest, imò & debet, nec oppositum potest prudentèr affirmare. Cùm ergo Deus in tali casu non voluerit, vt lex talis sit patens, & clara, sive certa, sed vt maneret sub opinionibus, frustra illam imposuisset, si non voluisset obligare illos saltem, quibus verisimilius est, quòd detur talis lex. Vnde (prosequitur Mag. Thyrsus) argumentum, seu fundamentum P. Terilli de non promulgatione legis sufficientè, ad summum posset habere locum, quando post factam sufficientem diligentiam, occurrunt

Ea



rationes omnino æquales pro vna, & altera parte, & homo non potest dubium illud resolvere: At in casu nostræ præcipuæ controversiæ, supponimus, quod operanti apparet maius fundamentum pro existentia legis, atque idè etiam probabilius esse eam existere, & reverà obligare. Ergo tunc respectu ipsius est sufficientèr promulgata. Addit tamen, & notat, dixisse ad *summum*; nam absolutè tanquam certum tenendum potius est, tunc etiam non laborare hominem illum sic dubium ignorantia invincibili, quæ excusat (vt declaratum fuit ab Alexandro VIII. anno nimirum 1690.) siquidem reverà peccaret homo ille operans cum tali dubio, iuxta sententiam P. Thyrsi, quàm latè probat, dissert. 7. toto §. 11. Quarè (concludit) licèt in illo casu non imputetur ad culpam homini, defectus scientiæ, & iudicij determinati de existentia, aut non existentia legis, imputatur tamen operatio subsequuta ad tale dubium.

97 At contra istam solutionem sunt omnia, quæ probavimus in nostro opusculo priori, & in tabella duplici, atque his etiam Notationibus, siquidem omnia ad hoc præcipuè tendunt, vt idè possit eligi opinio quælibet, si sit verè probabilis, etsi minùs, quia nulla, etiam probabilior, est vera certò, sed fallibilis potius, & tantum verisimilis; vndè sequitur etiam, quod adhuc ignoramus veritatem obiecti, sive legis, omnino invincibilitèr, & consequentèr non tenemur ad eam observandam, vel ob defectum sufficientis promulgationis vt sic obliget, vel ob privilegium certum nostræ libertatis, in cuius possessione stamus, atque idè melior est conditio illius, iuxta regulam iuris, quàm legis dubiæ, & non certò existentis; imò probabiliter, etsi minùs, cum gravi tamen fundamento, verè non existentis. Quarè falsum est prorsùs, quod sufficiat ad legis obligationem, atque promulgationem necessariam, opinio etiam probabilior, quæ

quæ potest esse falsa, & propterea neque illi assentimur vt vera, nisi cum formidine. Ex quo etiam sequitur, falsum esse suppositum, quod in prædicto casu Deus velit suam legem nobis imponere determinatè, cum animo obligandi, imò potius oppositum, nimirum nos relinquere velle protunc sine prædicta obligatione, sicuti etiam in alijs casibus, in quibus fatetur ipse P. Thyrsus dari ignorantiam nobis invincibilem legis cuiusque etiam naturalis, vt retulimus supra hic, num. 94. & 95.

98 Atque idem est dicendum, quandò nobis apparent æquè etiam probabiles opiniones pro vtraque parte, ob eandemmet rationem; nam dubium non est tunc purè suspensivum, sive negativum, sed positivum, & pro vtraque parte cum fundamento gravi, & sufficiente ad iudicandum quàmlibet ex illis esse verè probabilem, atque prudentèr eligibilem, quàm tumvis intellectus nequeat aliquam veram certò iudicare, iuxta explicata factis in priori nostro opusculo, nempe art. 4. & 9. & 12. Quarè negandum etiam est, quod tanquam certum addit P. Thyrsus, videlicèt, in tali casu non laborare hominem ignorantia invincibili, quæ eum excuset; siquidem reverà non peccat operando cum tali dubio positivo, non autem purè suspensivo, vti sæpè explicuimus. Vndè nihil valet etiam, quod ultimò concludit, de defectu nimirum scientiæ inculpabili, sive iudicij determinati de existentia, aut non existentia legis, imputabilitate tamen, sive culpa formali operantis sub tali dubio; nam iuxta distinctionem dubij positivi, vel suspensivi, circa hoc diverso modò iudicandum est, vt iam diximus: in præsentem autem loquimur de dubio positivo, & pro vtraque parte verè probabili.

99 Nihilominus adhuc persistit P. Thyrsus (vti refert Synopsis, §. 35.) in solutione data, & sententiam P. Terlij (seu nostram) de non promulgatione sufficienti



te legis ad obligandum, quando datur opinio verè probabilis de eius non existentia, asserit esse contra communem omnium Theologorum sententiam, non solum Antiprobabilistarum, sed ipsorum etiam Probabilistarum. Quòd ità probat, num. 119. nam in primis, quòd sit contra sententiam Antiprobabilistarum (idest suam) videtur manifestum esse, quia qui affirmant esse illicitam actionem, utpotè contra legem, hoc ipso affirmant, talem legem obligare, & consequenter esse etiam sufficienter promulgatam, non obstante, quòd sciant, dari aliam opinionem negantem. Quòd autem sit etiam contra sententiam nostram communem, seu Probabilistarum, probat; quia omnes illi fatentur, & supponunt, violari re ipsa legem, si contingat opinionem minus tutam esse reverà falsam, & legi Divinæ contrariam; etsi dicant, tunc illam transgressionem esse purè materiale, & non imputari ad culpam formalem: at eo ipso supponunt, legem illam esse sufficienter promulgatam: aliàs non esset etiam vera lex, nec vllò modò obligaret, atque adeò nec agere contra illam esset peccatum; adhuc materiale. Undè ignorantia (inquit) invincibilis, vel probabilis occultat quidem obligationem legis, sed non tollit; quare qui ex tali ignorantia agunt contra legem, agunt reverà contra legis obligationem perseverantem, seu contra legem, quæ verè fuit promulgata, & habuit vim obligandi, illamque retinet, dum non abrogatur; etsi talis transgressio legis eis non imputetur, neque sit culpa formalis. Quòd ulterius confirmat, num. 120. Synopsis, adductis varijs testimonijs aliquorum gravium Authorum, idem etiam docentium.

100 Meo tamen videri, inutiliter prorsùs; namque quæstio non est, àn in prædicto casu sit, vel non sit lex sufficienter promulgata omnibus absolutè; sicut neque etiam,

etiam, àn sit, vel non, reverà à Deo lata, & cum intentione obligandi; sed præcisè, àn habenti ignorantiam verè invincibilem de eius existentia, sit sufficienter promulgata, & obligans ad eam observandam? Hoc autem ultimum dumtaxat negant communiter Authores omnes, atque ipse etiam P. Thyrsus, ut eius verba probant. Ergo si concedatur etiam (& hoc Terillus asserit) quòd quando dantur pro utraque parte opiniones verè probabiles, circa existentiam, aut non existentiam legis, reperiatur in nobis ignorantia invincibilis de utraque parte; concedi debet consequenter, legem protunc non obligari ad sui observantiam, ob defectum promulgationis sufficientis respectu nostri; quidquid sit absolutè, five respectu aliorum, quibus certò constaret de illius existentia, vel pro revelationem specialem, vel per definitionem Ecclesiæ; ut accidit frequentèr, quando Summi Pontifices damnant sententias aliquas, seu Propositiones, antèa ut probabiles existimatas, & protunc eligibiles, non verò postea, ob rationem diversam, quia nimirum iam non manent probabiles, atque adeò cessat etiam ignorantia invincibilis pro utraque parte, quæ in omnium opinione excusat adhuc respectu legis, seu iuris naturalis, ut definivit Summus Pontifex Alexander VIII. ab ipso Patre Thyrso relatus, citato à nobis loco, suprà hic, num. 96.

101 Sed adhuc instat P. Thyrsus, uti refert Synopsis, num. 121. quia eo ipso, quòd Probabilis, five Authores benigni (idest nostræ sententiæ) qui hanc quæstionem instituunt, supponant dari duas sententias probabiles oppositas, supponunt etiam, vnam ex illis affirmare, non extare legem, quæ habeat vim obligandi, & alteram è contra affirmare, eam dari; Ergo supponunt etiam, quòd per contrarietatem istam opinionum, etsi Probabilium, non tollitur sufficiens promulgatio legis, alio-



alioqui frustra quærent, an sit peccatum sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, cum notum sit, neminem peccare posse agendo contra legem non sufficienter promulgatam. Unde (prosequitur) sensus quæstionis est, an licet detur lex, quæ fuerit sufficienter promulgata, & vim obligandi habeat in actu primo, nihilominus excusetur à peccato, qui confusus opinione minus probabili contra illius obligationem agit? quod idem est, ac inquirere, an per ignorantiam minus probabilem excusetur à culpa, sicut excusaretur, qui contra legem ageret confusus opinione sibi magis probabili, iuxta sententiam P. Thyrsi.

102 Cæterum, ut notavit, & benè, noster Lorca tom. 2. in 1. 2. tract. de legibus, disp. 18. tam disceptatio hæc potius de vocibus est, quam de rebus; siquidem omnes convenimus in eo, quod non peccet formaliter, qui confusus in opinione verè probabili (minus, aut magis, iuxta diversitatem sententiarum) operatur reverà contra legem; ut contingere potest, cum quælibet opinio tantum probabilis, etiam si nobis appareat probabilior, falsa esse possit, nec requiratur, quod sit tutior. Ergo nec tunc nos obligat actualiter prædicta lex, ob ignorantiam invincibilem, in quacumque sententia; & solum dissentimus in eo, an in se, & absolute dicatur lex adhuc existere, & quasi in actu primo posse nos obligare, si non detur impedimentum aliquod, ex parte nostra, quod nos excuset; qualiter accidit in casu nostro, videlicet ob ignorantiam invincibilem illius existentia.

103 Quod autem eo ipso debeat dici similiter non sufficienter esse nobis promulgata (ut affirmat P. Terillus) videtur quasi necessario inferri, utpotè adhuc non perveniens certò ad notitiam nostram; imò probabiliter, cum gravi fundamento, apparens nobis non existens; cum tamen promulgatio legis, ut sit sufficiens, debeat esse

esse nota, & certa, communitati saltem, aut maiori eius parti: quod non convenit legi, de qua omnes sumus dubij, sive in certi, & solum probabiliter, & cum formidine, iudicamus pro utraque parte, seu potius tanquam *verisimile*, quod reverà nescimus, iuxta P. Bernardum, citato à nobis loco in priori nostro opusculo, art. 4. ubi alia plura diximus, quæ conducere possunt ad hoc etiam intentum: & videatur etiam D. Thomas 1. 2. quæst. 90. art. 4. in corpore, & ad 2. & quæst. 91. sequenti, art. 1. solutione ad 2. ubi docet, quod licet lex Dei æterna sit apud ipsum promulgata ab æterno, non tamen apud nos, qui non sumus æterni, atque adeò nec *audientes*, aut *inspicientes ab æterno*; ergo hoc attendi debet, & non sola existentia legis à parte rei ex parte præcipientis: unde in Decretis, dist. 4. in cap. *In istis* (quod refert etiam D. Thomas dicta quæst. 90. art. 4. in argumento, *sed contra*) absolute sic dicitur; *quod leges instituuntur, cum promulgantur*, scilicet alijs, sive subditis; quia tunc incipiunt tantum obligare.

104 Ex quibus constat etiam, quam sine causa, & fundamento addat Synopsis, §. 36. novas (ut vocat) confirmationes P. Thyrsi contra Patrem Terillum, atque illius doctrinam traditam de nō promulgatione sufficiente legis, in casu nostræ controversiæ; omnes enim nituntur in falsa apprehensione, qua laborat Mag. Thyrsus, ut sæpius iam notavimus, nimirum quod opinio, quæ apparet nobis clarè probabilior, non relinquit locum, ut prudentè possimus oppositæ adhærere, atque adeò neque ut dubitemus sufficienter iam esse promulgatam legem, de cuius existentia nobis apparet clarè probabilior opinio: unde quasi per modum admirationis, proponit varios casus, in quibus sequeretur ex doctrina P. Terilli, concedenda esse multa absurda, quæ P. Thyrso videatur valdè dissonantia. Nos autem non absurda,



neque vllò modò dissonantia, sed conformia rationi, omnia illa existimamus, sicuti etiam doctrinam dicti P. Terilli, & communem aliorum plurium, qui defendunt sententiam nostram, propter fundamenta tam gravia, vt sæpiùs vidimus: quare non est necesse respondere in particulari huiusmodi confirmationibus novis, imò neque referre illas, cum eas omnes, sive absurda, quæ infert, potiùs concedamus.

105 Solùm in communi adducemus exemplum, ex omnibus desumptum, vt constet sufficientèr, verum esse, quòd dicimus. Arguit ergo prædictus Author ab inconvenientibus, quæ sequi putat ex sententia P. Terilli, seu nostra, videlicèt, quòd possit homo contra proprium iudicium, & plurium etiam, graviorumque Doctorum, de existentia reali legis prohibentis aliquam actionem, existimare adhuc non esse illam sufficientèr sibi promulgatam, quia nimirum sunt alij, atque pauciores, minùsque graves, & cum minore fundamento (vt ipsi etiam videtur) qui illam negant existere; eo enim ipso iudicare non potest primos fuisse deceptos, sed potiùs posteriores; ergo neque prudentèr affirmare, legem non esse sibi tunc sufficientèr promulgatam. Aliàs enim sequeretur etiam, quòd quàmvis certum, & evidens mihi videretur, saltam esse opinionem posteriorum, si tamen absolutè apud reliquos adhuc vt probabilis haberetur communitèr, possem licitè in praxi iuxta eam operari, ob defectum nimirum sufficientis promulgationis legis mihi certæ: quo nil absurdius dici potest.

106 Respondeo tamen ex principijs etiam communibus, & sæpiùs explicatis, ab omnibusque admisis, scilicèt, nullam esse opinionem probabilem dumtaxat, etsi nobis appareat clarè probabilior, quæ sufficiat pro vt sic se sola nostrum intellectum firmitèr determinare ad assentiendum suo objecto vt vero à parte rei, sed dum-

taxat vt verisimili, quia cum formidine de opposito; unde est iudicium fluctuans, & vacillans, atque aded quasi dubium, vt definit ipse Mag. Thyrsus, loco à nobis citato in alio opusculo priori, art. 1. num. etiam 1. sed videantur vltèrius dicta art. 4. per totum, præcipuè verò, quæ retulimus ibi num. 29. ex Parente Bernardo, lib. 5. de consider. ad Eugenium, cap. 3. num. 6. *Et hoc sciendum* (inquit) *quia opinio, si habet assertionem, temeraria est.* Et post pauca: *Opinio est quasi pro verò habere, quòd falsum esse nescias.* Quare dixerat priùs, num. 5. antecedenti: *Opinio certè nihil habens, verum per verisimilia querit potiùs, quàm apprehendit.* Qualitèr ergo, quàm tumvis nobis videatur probabilior opinio de legis existentia, si tamen sit etiam verè probabilis opinio opposita, possumus dicere, quòd sit nobis reverà, & sufficientèr promulgata lex, & cum obligatione eam observandi. Videantur etiam dicta a nobis in priori nostro opusculo citato, art. 5. cum sequentibus.

107 Undè concedi debet etiam, quòd vt absurdum infert postea P. Thyrsus, nimirum sequi ex nostra doctrina, quòd quàmvis certum, & evidens mihi videatur falsam esse opinionem benignam de non existentia legis obligantis, si tamen absolutè apud Authores reliquos habeatur vt probabilis, possim licitè eam sequi, ob defectum videlicèt promulgationis sufficientis, etsi mihi certæ. Quòd tamen (inquam) concedi debet etiam: nam, vt num. 124. docet ipsa Synopsis, non ex eo, quòd mihi videatur certum, & evidens falsam esse opinionem benignam, quàm alij Authores veram putant, probatur, non esse absolutè probabilem in se; sicut quòd P. Vazquez sæpè appellet levia fundamenta aliorum Doctorum, & Caietanus levia etiam putet fundamenta Scoti, non probat illorum Doctorum sententias non esse probabiles, neque earum fundamenta gravia; sed solùm



probat, ita videri his prædictis Authoribus, non autem alijs omnibus; hoc autem sufficit, vt adhuc maneat verè probabiles sententiæ oppositæ, non enim ad hoc requiritur, quòd earum fundamenta omnibus viris doctis appareant magna, & gravia; nam sic nec vllus posset esse certus de probabilitate, suæ, aut alterius opinionis, quia nullus potest esse certus, quòd fundamenta illius non sint iudicanda levia ab vllò homine docto: Ità Synopsis ibi.

108 Igitur etiam indè infertur, quòd in rebus sic dubijs, aut incertis, nullus debet vt evidens, & certum iudicare, quòd ita sibi apparet, quantumvis illi videantur fundamenta clarissima, & fortissima, imò & concludentia, cum falli possit in hoc etiam, & fallamur sæpijsimè, vt omnes experimur; de quo in prædicto opusculo priori, art. 1. & 4. ex confessione etiam ipsius P. Thyrsi, qui mutavit sententiam, quàm vt verissimam docuerat, & in praxi secutus fuerat, per plures annos; & fortasse vt sibi etiam apparentem certissimam, atque evidentem, iuxta suum ingenium, imò & genium, quantum ad vivacitatem, seu tenacitatem suarum opinionum, ad modum P. Vazquez; de quibus ait benè noster P. Bernardus vbi supra: *Multi suam opinionem intellectum (idest evidentem) putaverunt, & erraverunt.* Possumus ergo, imò & debemus, adhuc in prædicto casu, per reflexionem iudicare, quòd falli possumus, & idè non est evidens, nec certum, quòd ita nobis apparet, & consequentèr quòd opinio opposita potest esse vera, & est saltem probabilis, propter auctoritatem saltem eam defendentium; qua propter neque lex est sufficientèr nobis promulgata, vt actu, & necessario obliget ad eam observandam, iuxta dicta superius.

NOTATIO XXVI.

De ignorantia legis, an excuset.

109 **S**imilitèr dicendum etiam ad alia, quæ Synopsis addit, §. 37. sequenti, ex suo P. Generali, vt probet scilicèt, neque in casu quæstionis posse nos excusari ab obligatione legis, per alias reflexiones fundatas, vel in ignorantia illius, vel in possessione nostræ libertatis; ad quas solent recurrere nostræ sententiæ Authores, inter quos iam citatus P. etiam Terillus: contra quem nominatim sic arguit P. Thyrsus, & primò quidem, quantum ad primam reflexionem suprà ignorantiam legis: vt enim (inquit) lex aliqua reverà obliget, non requiritur prorsus, vt certò, aut evidentèr quis iudicare possit eam à parte rei dare, & sub se etiam comprehendere actionem illam, de qua dubitatur; sed sufficit, prudentèr hoc posse ita iudicari, propter maiorem nempè probabilitatem, seu gravius fundamentum auctoritatis, & rationis: alioqui deberemus dicere, nullum hominem obligari ad abstinendum à re, de qua inter Authores graves disputatur, an sit licita, necnè; quòd videtur absurdum, cum per nullam reflexionem possit non esse reverà contra legem, si hæc à parte rei detur prohibens illam; idem autem est esse illicitam, ac esse contra legem; nemo ergo potest esse certus, quòd non peccet faciendo illam actionem, nisi sit etiam certus, quòd non sit contra legem, aut saltem possit prudentèr ita iudicare.

110 Ad quòd respondeo ex toties dictis (omissa pro nunc sententia nostri Caramuells, qui negat antecedens, quo ad priorem partem; de qua in alio nostro opusculo priori, art. 16.) quòd licèt non requiratur ad obligationem legis certum iudicium de illius existentia, at



non sufficit etiam probabile iudicium tantum (quàmvis mihi videatur probabilius) si pro contraria parte sit etiam probabile reverà, etsi minùs; eo enim ipso possum prudenter iudicare non existere legem, aut saltem hoc mihi videri certò verisimile, propter motiva gravia, & fundamenta opinionis verè probabilis, quæ talis adhuc remanet in occurso alterius, quæ mihi apparet probabilior, ut satis explicuimus in eodem nostro opusculo priorì, art. 5. & 6. atque indè etiam in alijs tribus subsequen- tibus, qualiter possit in conspectu eius licitè ad praxim eligi, sine periculo peccandi formalitèr, quàmvis in re sit falsa, sed tantum materialitèr; ut contingere etiam potest sequenti adhuc opinionem, quàm iudicat probabiliorem, non tamen tutiorem, ut docet P. Thyrsus. Tunc ergo solùm tenemur observare legem, quandò dubitamus de illius existentia, non quidem possitivè, seu probabilitèr pro utraque parte (de quo est quæstio) sed quando dubitamus purè suspensivè, seu negativè, sine opinione nempe possitiva, & reverà probabili de eius carentia, vel ita exigua, & tenui ut imprudentia lo- ret, eam sequi; ut in prædicto etiam opusculo explicuimus, art. 7. à num. 45. & art. 12. num. 84.

III Quare negamus illationem illam absolutè, & universalitèr sumptam, videlicèt sufficere (iuxta hanc nostram doctrinam) ad non servandam legem, quòd sit inter Authores graves disputatio de legis existentia, aut illius carentia; Nam requiritur amplius, quòd pro utra- que parte (aut saltem pro carentia) sit iudicium determi- natum, & reverà probabile, cum gravi fundamento, ali- quorum illorum Authorum, ut prudenter possimus iuxta illud operari: de quo videantur dicta etiam in alio opus- culo, art. 16. à num. 119. Quòd autem magis miror, est, quòd statim Synopsis addit, ex suo Generali, ut probet scilicèt esse absurdam prædictam illationem; quia per-
nub.

nullam (inquit) reflexionem potest non esse contra legem actio ab illa prohibita, si lex à parte rei detur. Inquiro enim, an peccet formalitèr, & non præcisè materialitèr, qui eam actionem faciat, cum iudicio, quòd sibi apparet probabilius (fallum tamen reverà, ut contingere potest) de carentia prædictæ legis? Ergo cum P. Thyrsus in tali casu id neget, sequitur etiam iuxta illum, non requiri iudicium certum de non existentia legis ad non obliga- tionem eius, sed sufficere solùm ignorantiam illius proba- bilem reverà; videantur etiam suprà dicta hic, num. 94. & 95. circa ignorantiam invincibilem iuris cuiuscumque, etiam naturalis.

NOTATIO XXVII.

De possessione nostra libertatis.

112 **D**Enique, non sufficere etiam reflexionem aliam suprà possessionem libertatis propriæ ad licitè sequendam opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, probat Mag. Thyrsus (uti refert Synop- sis, num. 126.) imprimis, quia axioma illud: *In dubijs melior est conditio possidentis*, solùm (inquit) habet locum in materia iustitiæ, circa aliquam rem, quæ anteceden- tèt ad litigium, seu dubium, iam possidebatur ab vno ex litigantibus; At quando dubitatur, an sit, vel non sit, licita actio à nobis facienda, nulla supponitur in volun- tate nostra libertas ad eam eliciendam sine peccato, imò de hoc ipso est dubium; & nunquam in favorem nostræ libertatis poterit proferri sententia, nisi per argumenta urgentiora fundamentis partis contrariæ probetur, at- que ex vi illorum formet homo iudicium directum firmum, & determinatum, quo iudicet prudenter, eam actionem non esse in se prohibitam, & sic resolvat du-
bium;



bium; cum quo, si operaretur, peccaret certò, atque formalitèr, in quacumque sententia. Quòd si illi obijcias, quòd prædictum iudicium adhuc non possit esse evidens, nec certum, quia falsum esse potest: Respondet, concedendo hoc quidem, tamen sufficere, quòd possit esse firmum, & determinatum, utpotè verum iudicatum, ex vi fundamentorum ipsi apparentium clarè vrgentiorum, fundamentis contrariæ partis; in rebus enim ita dubijs, non amplius Deus exigit à nobis, uti rectè docet P. Suarez, cuius verba etiam refert ipsa Synopsis, in fine num. citat. 126. & D. Antoninum, & Navarrum hoc idem affirmantes.

113 Cæterùm ex hoc ultimo probo, falsum esse illud primum de discrimine allato inter materiam iustitiæ, & alias, circa intelligentiam scilicèt axiomatis adducti ex iure de privilegio possessionis in rebus dubijs; Nam si hoc non etiam prævaleret, atque in favorem nostræ libertatis, in casu, seu materia nostræ controversiæ, nulla esset ratio, quare ex vi solùs probabilioris opinionis possemus contra legem pro nostra libertate sententiam dare, uti fatetur prædictus P. Thyrsus; siquidem adhuc dubium est, & non reverà certum, iudicium, quòd formamus ex vi fundamentorum, quæ vrgentiora nobis apparent, circa veritatem obiecti prout est à parte rei; aliàs non solùm probabilius, sed certum foret etiam, absolutè, & in se, vel saltem nobis; quòd non concedit neque ipse P. Thyrsus, qui dumtaxat affirmant posse esse firmum, & determinatum, cum formidine tamen inclusa in quavis opinione purè probabili, aut probabiliori nobis apparenti; quippè adhuc in hoc ipso certi non sumus, absolutè, & in se, cum ex affectu, vel passione, sive inclinatione voluntatis, possit provenire, quòd nobis ità appareat, idest, probabilior opinio, atque eius fundamenta vrgentiora contrarijs, ut ex ipso prædicto Autho-

re retulimus in nostro opusculo priori, art. 1. num. 3, sicuti etiam, num. 1. & 2. qualitèr nequeat esse firmum, ed vacillans potiùs, & fluctuans iudicium quodlibèt probabile, sive probabilius, ob eandemmet rationem. Quare P. Suarez, verbis adductis, à Synopsi, non exigit, nisi *probabile* (non probabilius) ad licitè operandum in rebus ita in certis, ut legenti patebit, & similitèr S. Antoninus, atque Doctor Navarrus.

114 Ad id verò, quòd arguit Synopsis, sive P. Thyrsus, ut probet differentiam inter materiam iustitiæ, & cæteras alias, quantum ad privilegium possessionis, iuxta regulam iuris: respòdeo falsum esse etiam, quòd ante quàm in nobis sit dubium aliquod circa quamcumque actionem à nobis eliciendam, an scilicèt sit licita, vel non, nulla supponatur in nostra voluntate libertas ad eam eliciendam sine peccato; cum voluntas à Deo creata sit cum libertate ad omnia, quæ illi prohibita non fuerint. Ergo ante quàm à nobis dubitetur de prohibitione, iam supponitur dari in nostra voluntate libertas ad quodcumque non sit nobis prohibitum. Imò, si non daretur huiusmodi libertas, neque prohibitio posset dari, quæ effectum aliquem haberet; quid enim ageret de novo, si iam voluntas id non posset defectu libertatis? Sicut propterea neque lex potest poni, nisi creaturæ rationali, & liberæ. Quòd si fortasse dicas, legem, maximè æternam, antecedere potiùs nostram libertatem, quæ temporalis est, sicuti & nos: Respondeo, & si antecedit realitèr, non tamen ut nos obligans, donec in tempore, intimetur, seu proponatur nobis sufficientèr; quòd fit per nostrum intellectum, seu cognitionem de eius existentia, atque adeò postquam iam habemus, & possidemus nostram libertatem: *Leges enim tunc instituuntur nobis, cum promulgantur; ut ex iure retulimus, atque etiam D. Thoma, supra hic, num. 103. in fine; & vterius videri potest Pater*



Moya tom.2. Select. in Appendice ad tract. I. quæst. 5.
§.2. num. 11.

115 Omitto alia, quæ Synopsis addit (seu potius repetit) à num. 127. vsque ad ultimum, nempe 134. quia etiam sæpius sunt à nobis adducta, & impugnata, vt legenti patebit. Sufficiant ergo dicta hucusque in defensionem nostræ, atque communis sententiæ, quam R. P. Generalis tam acriter repellit, imò etiam damnat quasi perniciosam animabus Fidelium. Utinam omnes Deo soli placeamus, nec charitas frigescat propter diversitatem sententiarum, in quarum electione, sine approbatione, quantum ad earum veritatem, seu probabilitatem, absolutè, & secundum se, liberi non sumus.

FINIS HUIUS OPERIS.

*Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da
gloriam. Hoc est, nihil nobis, ò Domine, de
scientia, nihil nobis de dignitate tribuimus, sed
tuo totum (à quo totum est) nomini deputamus.
S. Bernardus tract. de diligendo Deo. Pl. 113.*

INDEX

Eorum, quæ in questione conti- nentur.

Aliqua notabilia proponuntur, vbi, quid sit probabilitas, & differentia inter tutam opinionem probabilem, & probabiliorem, num. 2. 3. & 4. & 5. pag. 2.

Statuitur conclusio, communis, numerantur AA. pro illa, & probatur argumento Caramuel, & reijciuntur instantiæ ad illud, n. 11. 12. & seq. pag. 7.

Argumentum P. Moya probatiuum, n. 19.

Probatur 2. conclus. A priori ex eo quod non requiritur iudicium certum speculativum antecedens ad iudicium practicum, n. 25. pag. 17.

Tert. prob. Ex eo quod non obligat, quando non est promulgata lex, n. 36. pag. 23.

Quart. prob. Ex ignorantia invincibili, quæ datur in opinione probabili, & probabiliori, num. 42. pag. 27.

Quint. prob. Ex inconvenienti oneris querendi probabiliorem opinionem, n. 49. pag. 32.

Solvuntur argumenta sent. contrariæ, num. 54. pag. 35.

Prim. argum. Gonet ex scriptura, ex eo quod debemus quantum possumus, & scimus obedire Deo, num. 55. pag. 36.

Cætera argum. & solutiones vsque ad num. 75. pag. 44.

Adhibentur aliquæ limitationes in casibus particularibus præcedentis doctrinæ, n. 76. pag. 50.



Prim. In dubio homicidij voluntarij debet sequi opinio securior, quantum ad penam irregularitatis, num. 78, pag. 52.
Secund. De præcepto poenitentiae ante articulum mortis, n. 82. pag. 54.
Tert. Casus in cap. Iuuenis, de sponsalibus, num. 83, pag. 55.
Referuntur, & explicantur quinque propositiones damnatae, num. 91. pag. 60.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

INDEX
ARTICULORUM.
PROÆMIUM IN EXAMEN
Theologicum Probabiliorismi.

- Art. I. De firmitate iudicij opinativi, pag. 103.
- Art. II. Ad operandum licitè non requiritur iudicium directum moralitè certum, pag. 106.
- Art. III. Præcedentis doctrinæ completio, ubi testimonium Ang. Doct. exponitur, pag. 110.
- Art. IV. Veritas non debet esse regula in probabilibus ad honeste operandum, pag. 116.
- Art. V. Opinio minùs probabilis comparativè ad probabilioris est positivè probabilis, pag. 122.
- Art. VI. Doctrina præcedens auctoritate D. Augustini non infirmatur, pag. 126.
- Art. VII. Opinio minùs probabilis in conspectu probabilioris manere potest ad praxim simpliciter probabilis, ubi de exigua probabilitate, pag. 132.
- Art. VIII. Explicetur doctrina præcedens, & discrimen inter fidei credibilitatem, & maiorem probabilitatem declaratur, pag. 135.
- Art. IX. Quamvis intellectus nequeat speculativè assentiri parti minùs probabili: potest nihilominùs minùs probabilem opinionem ad praxim eligibilem iudicare, pag. 141.
- Art. X. Argumentum ex iudicio temerario provt istud à R. M. Thyrso declaratur, contra eundem, & in confirmationem proximæ doctrinæ resumitur, pag. 147.



Art. XI. Electio opinionis certò probabilis pro libertate in conspectu probabilioris, non est positiva temeritas, aut imprudentia, pag. 151.

Art. XII. Nullum est periculum violandi formaliter divinam amicitiam in electione opinionis minùs probabilis pro libertate. Vbi de dubio purè suspensivò, pag. 160.

Art. XIII. Paritas ex medicina non debilitat doctrinam superiorem. Vbi de legis intimatione, pag. 166.

Art. XIV. Sententià benigna non attribuit speciale privilegium Doctoribus, pag. 176.

Art. XV. Suavitas Domini iugi sententiæ benignæ favet. Vbi de istius antiquitate, pag. 182.

Art. XVI. Ex sententià benigna non inferitur posse quemlibet operari contra legem, vel cum evidens non est illius existentia, vel cum non cognoscitur opinio probabilis pro libertate, pag. 186.

Art. XVII. Sententià benigna non reddit inutile Theologiæ Moralis studium, pag. 191.

Art. XVIII. Sententià benigna non minuit orationis studium pro impetranda à Deo veritatis cognitione, pag. 197.

Art. XIX. Doctrinæ Examini præsentis ad Corollaria deducitur, pag. 202.

Art. XX. Nova corollaria pro praxi tam in operando, quàm in disputando iuxta præsentem materiam, pag. 208.

DIVISIO NOTATIONUM in Synopsim.

Not. I. Non requiri, ut sit verè probabilis opinio, quòd iudicet prudenter operans obiectum eius esse verum, realiter à parte rei, pag. 226.

Not. II. Semper manere verè probabilem opinionem communem apud sapientes, pios, & doctos, quàmvis mihi videatur oppositum, probabilius, non certò, pag. 228.

Not. III. Quàmvis utraq; opinio nobis appareat equalitèr probabilis, ad huc licitè possum quàmcumque in praxi sequi, pag. 232.

Not. IV. Diversitas inter privatam quemlibet in operando, ac superiores in consultatione, & determinatione negotiorum ad ipsos spectantes, pag. 236.

Not. V. Licet iudicium speculativum præcedens de bonitate operis, absolute loquendo, non videatur nobis probabilius, potest tamen fundari supra illud ultimum iudicium practicum de licita elicientia illius, si reverà est probabilis, etsi minus, pag. 238.

Not. VI. Falsa esse duo principia, quæ Synopsi appellat solidissima, M. Thyrsi, quòd scilicet ad operandum licitè iuxta opinionem minus tutam, requiratur hanc nobis veram apparere; & ad hoc etiam esse verisimiliorem, pag. 240.

Not. VII. Non comprehendi nostram, atque communem sententiam, in Propositione 3. damnata ad Innocentio XI. de exigua, aut tenui quacumque probabilitate, pag. 243.

Not. VIII. Qualitèr in sententià P. Thyrsi, esset onus intolerabile, & iugum grave Christi, pag. 244.

Not. IX. Non ideo concedi aliquod privilegium speciale Auctoribus, pijs, & doctis, quia liceat sequi eorum opinionem, quàm indicant verè probabilem, etiam si oppositum videatur operanti, & sit opinio minus tuta realiter, pag. 245.



320

- Not. X. *Quid requiratur, ut opinio aliqua sit nobis probabilis, & in praxi licite utilis, pag. 248.*
- Not. XI. *Quid dicendum de viro docto ab aliquo consulto, & an teneatur semper respondere iuxta opinionem sibi probabiliorum? & virum sit discrimen inter illum, & aliorum privatum se ipsum tantum dirigentem, pag. 251.*
- Not. XII. *Sententia Magistri Bartholomaei de Medina (sive communis) atque eius prima Ratio, pag. 253.*
- Not. XIII. *Secunda Ratio Medinae pro eadem opinione, pag. 257.*
- Not. XIV. *Tertia, & quarta Ratio Medinae, pag. 258.*
- Not. XV. *Quinta Ratio Medinae, in qua de Confessarijs, pag. 263.*
- Not. XVI. *Solvuntur, & impugnantur aliqua, quae Synopsis addit, occasione Rationum P. Thomae Sanchez pro sententia nostra, & communi, pag. 272.*
- Not. XVII. *Dubium suspensivum, seu negativum, à dubio positivo distinguitur, & qualiter hoc ultimum semper includatur in opinione tantum probabilis, etsi nobis appareat probabilior, pag. 274.*

Not.







